



MARCI ZUERII BOXHORNII
EMBLEMATA
POLITICA, & ORATIONES.



AMSTELODAMI,
Ex Officina JOHANNIS JANSSONII,

cIↃ IↃ C XXXV.

Generoso & Nobilissimo

JUVENI,

D. JOHANNI KRVVS,

magni illius IESPERI MATTHIÆ KRVVS *ab* HARVILA, *Equitis, Domini in Karkhus, Ruyn, Ieckis, Nockis, &c. Regni Sueciæ, dum viveret, Thesaurarij & Senatoris primarij, militiæ Regiæ contra Danos Polonosque supremi Præfecti, Filio, Suecicæ nobilitatis singulari ornamento.*



Vm primum in litterarum nostrarum arcana penetrare cœpi, generose Domine, duo hæc potissimum in antiquis mirifice me ceperunt: sapientia ipsa, quam docebant, & modus,

quo eam inculcabant. Et in hoc, & in illa eſt, cujus inopia ſæculo noſtro laboramus; quod ineptiis ubique occupatum priſca illa & tantopere à ſapientibus laudata inſtituta, ignorat & contemnit. Nam ad cætera bonæ mentis impedimenta etiam ambitio accedit, quæ, quia ſua tantum didicit admirari, cætera capere aut non vult, aut non poteſt. Cæterum ut ignoraſſe veniam habuerit: ita non tantum non ſequi, ſed odiſſe, quod non ignoratur, quod veteres illi ad poſteros in exemplum tranſmiſere, quod omnis ævi ſapientum ſuffragio probatum, quod tot virtutum prodi-

gia olim dedit, quod supra cæteros nos attollit, quod denique cum Deo proxime nos conjungit, hoc vero detestandum mihi videtur. Illud enim simplicitate sua se absolvit, hoc autem cum malignitate conjunctum est. In sapientia olim usum spectabant, qui non alius erat quam quod bonum & malum scire. Bonum & divinum & humanum erat. Divinum quidem ipsum Deum: humanum vero unionem mentis nostræ cum Deo vocabant, quam scientia & virtus absolvit. Propius enim sapiens à Deo abest, qui & ipsa bonitas est, & nihil ignorat. Vnius quippe omnia esse, & omnia

unum; unius, ut omnium causſæ; unum, ut omnia unius cauſſæ: ſententia eſt veterum Philoſophorum. Et ſicut heliotropium ad ſolis motum, ita ſecundum divinos cœleſteſque impetus animum ſapientis componi exiſtimabant. Nec obſtat, quod tam longe à cælo abſimus. Tantò enim melius eo penetramus. Vt Vlyſſes fumum patriæ ſuæ videre tanto magis deſiderat, quanto magis ab eâ remotus eſt. Et profectò ſapere, quid aliud eſt, quam Deum æmulari? qui omnium arbiter & moderator, rationem, quâ nos & alios regere, atque etiam aliis ſubeſſe poſſimus, præſcribit. Qui imperat

perat vices ejus hic gerit, & ſequitur exemplum, Qui ſubeſt, ita alijs ſe ſubmittit, ut ſapiens Deo. Qui quanquam cæteris major, hoc ſolo minorem ſe agnoſcit, ita tamen ut quantum fieri poteſt adæquare laboret. Nam in Repub. & ſcire, & bonum eſſe præcipuum uſum habet. Vtrumque autem eſt Deum ſequi, & in nobis aliiſque eſſe, quod in nobis eſt Deus. Quod ſane difficillimum in rebus humanis, & non niſi certis quibuſdam ſtatiſque animi noſtri converſionibus obtineri Plato ſtatuebat. In quibus ſapientia omnis & virtus poſita erat. Quemadmodum enim cæleſte illud de-

positum, quod ſolem vocant, & Deum credebant antiqui, in aſſiduo motu eſt, & hoc ipſo vires ſuas per totum univerſum expandit; ita quoque portio divinæ mentis, quam fragili hoc corporis hoſpitio circumgeſtamus, tanquam cęli & cæleſtium cognata, attollit ſe quotidie, & maximarum rerum capax, divina quadam mutatione, meliorem majoremq; ſe oſtendit. Converſio in deterius hic locum non habet; pertinax illa animæ deſidia, quæ abjectis alis, quibus ad divina ſe poſſet promovere, obliviſcitur & Dei, & ſui, & aliorum. Talium quippe memoriam perdidiſſe ſummus animi morbus habebatur.

Enim-

Enimvero & ad virtutem & ad ſapientiam indies magis magiſque intendi oportet: ut mens noſtra, quantũ per corporis vincula licet, quibus eſt impedita, nihil quod aut bonum aut ſciri poteſt, prætermittat. Ad utrumq; autem obtinendum triplicẽ animi converſionem neceſſariam eſſe divinus ille, quem jam dixi, Plato ſtatuebat: ad Deum ſcilicet, ad alios, ad ſe. Ad Deum, quem cum totum exprimere non poſſumus, ſequi conamur. Ad alios, à quibus petimus exemplum. Ad ſe, cum ubi non eſt, ſe non quærit, ſed in ſe deſcendit. Quemadmodum νοῦ συνηθροίσμένον Plato nominavit. Cujus eſt ſece-

dere extra res humanas, ut tanto melius eas possit moderari, secum de magnitudine virtutis suæ certare, & in cælesti illo certamine de se victoriam, de se triumfum referre. Sic nosmet nobis componimus, sed ita componimus, ut ijdem non simus, primo nihil, mox aliquid, deinde alijs pares, mox magni, & deinceps, ut ille loquitur, magnorum summi, summorum maximi & maximorum regnatores. Hoc est illud animi incrementum, quod cum ipso corpore quotidie altius promovetur, nec tamen cum corpore senectutem sentit; quod quia æterna modo sectatur, & capax æternitatis, non potest non esse

æter-

æternum. Æterna autem iſta ſunt bonum eſſe & ſcire. Semper enim bonum eſt, & ſemper ſcitur, quod ſemel fuit. Quorum utrumq; ſimul conjungi debet, aut non eſt æternum. Cadit quippe, ſi disjungatur. Vt corpus cadaver eſt, poſtquam emiſit animam, qua ſuſtentabatur. Nec bonum nobis eſt, quod non ſcimus, nec ſcire hic debemus, quod non ſit bonum. Nam & quæ mala ſunt ſcire bonum eſt, ſed ſcire ut evitemus. Ita Socrates quid ira, quid adulterium, quid Tyrannis non ignorabat, & utebatur ita, ut virtuti magis animum pararet. Cum iram in alijs videret, affectum ſedabat, cum adulte-

ria, castitatem amplectebatur, cum tyrannidem, ridebat & non nisi rationis atque sapientiæ dictamen sequebatur. Vt qui hostem & ejus vires novit, tanto magis suas explorat, & impendit. Bonum non nisi quoddam pulchrum est. Cui ut se dedat animus noster, innatus amor est, quem cælestem Plato vocabat. Qui tunc demum quod suum est habet, cum pulchro se jungit. Cujus vim in actione virtutis, dotem in æternitate esse arbitramur. Ad cæleste hoc animi cum pulchro matrimonium, nihil præter divinum amorem istum desideramus. Non à Venere æstus, quos pulchrum subdit, non à

Cupidine arcus aut tela, quæ pulchri cogitatione ſibi ipſi mens noſtra imponit. Sic ut hoc demum ſit bonum eſſe, pulchrum amare. Nemo autem amat, quod non intelligit, aut videt. Proinde videre oportet pulchrum, ut amemus. Et videre non poſſumus, niſi ubi pulchrum eſt, ibi ſit animus, &, quem in eo potiſſimum quærimus, amor. Qui hic amat ab eo, quod amatur, nec repulſam patitur, cum petit, nec deſeritur, cum accepit. Iaſonem Medea, Æneam Dido mutuo amore complexæ, ſed ut desererentur, & deſertæ nec viverent amplius, nec amarent. Qui modo hic amaſſe cœpit, jam

obtinuit, quod amat, & qui obtinuit, nunquam deponit, quod ſemel accepit. Quippe animus & pulchrum dextras jungunt, trahitur utrumque, & trahit. Sicuti enim in illa cæli ſtatione, quam quotidie oculis uſurpamus, ſol & luna invicem ſe excipiunt, ita continuò pulchrum animo, animus pulchro ſuccedit. Pulchrum animo, cum eum invadit, animus pulchro cum ab eo invadi ſe ſinit. Eſt enim in animo, quod pulchrum capit, eſt in pulchro, quo animus delectatur. Ita ut utrumque & amet & ametur, & magis utrumque amet, quo magis amatur. Quemadmodum ſignum annulo impreſſum non

non quævis materia exhibet, ſed mollis tantum, & quæ cedit: ſic etiam non quivis animus pulchrum apprehendit, ſed tantum capax. Alio reges, alio qui è plebe hoſpitio excipiuntur. Pulchrum quoque cælcſte illud pignus, & quo majus homini in hac vita exhiberi non poteſt, par ſibi animi domicilium quærit. Humilem, ignavum ſui, & ineptijs devotum aſpernatur: maſculum, erectum, Deo & cęlo ſuo proximum quęrit. In hoc ſedem ponit, nec excedit. Non luxus aulæorum, non ſplendor gemmarum, non aurum, non argentum, quibus prætium ſola dementia mortalium fecit, pulchrum

hoc capit. Satis ad pulchrum obtinendum est petere pulchrum, & amare. Nam petere & obtinere in idem momentum hic cadit. Nec ideo huic pulchrum deest, quia ille accepit. Omnibus enim pariter præbere se potest. Totum est omnium, totum singulorum. Tantum hic Socrates habet, quantum Callias, & Callias quantum Socrates. Sed quemadmodum cytharam pulsare non potest, nisi qui artem novit, ita bonum, & quod in bono pulchrum est, nemo apprehendit, nemo sequitur, nisi qui novit. Loquar porro ex sententia Platonicorum. Scire bonum animus dicitur, cum cælestes ima-

imagines habet, & circa eas versatur. Quorum id à Deo, hoc à nobis esse existimabant. Sic ut scientia duplex sit, una innata, altera ex hac acquisita. Illa in imagine; hæc in ejus usu consistit. Illa hujus caussa est, hæc veluti filia, utraque autem est caussa boni. Illius exemplum Alcibiades dedit, qui ignorare se dicebat, quando nesciverit illa, quæ postmodum cognovit. Certe non quęsiverat aliquando, aut à præceptoribus acceperat unquam. Quod si neque quæsivit, neque accepit ab alijs, merito propius cælo defluxisse dicitur, & innatum. Quod imaginem vocant, quæ divinorum contempla-

plationi incumbit. Ex hac vero aliam illam ſcientiam acquirimus, quæ docet quomodo in hac vita divina eorumque ordinem poſſimus æmulari, ſive imperium nobis, ſive obſequium ſit relictum. Quæ duo omnia abſolvunt. Ita Principi imperandum, ut Deus, ita Principi à populo parendum, ut Deo. Et quemadmodum duplicem ſcientiam, ita etiam ignorantiam ijdem illi ſapientes credidere. Prima eſt habere imagines, ſed ignorare, altera habere eas, & ſcire, ſed non uti. Habent imagines fatui, ſed ignorant, ut Miletides. Habent, & habere ſe ſciunt, ſed non utuntur, qui ſive deſi-

dia,

dia, ſive pertinacia quadam eas in ſe exſtinguunt; non alia de cauſſa quam quod ſe, quam Deum ſequi malint. Vt Dionyſius tyrannus, cum Iovis in imperio imaginem exprimendam ſibi ſciret, eumque Deorum & hominum parentem eſſe non ignoraret, non talem ſe ſuis, ſed tyrannum probavit. Sic ut in ſcientia primum ſit imaginem Dei habere, ſecundum eam ubique exprimere, & æmulari. Vſus autem eſt à præceptis ſapientum; qui aliam quidem atque aliam eorum habent rationem, omnes tamen occaſionem quærunt, quam opportunitatem, à qua ſcientia & bonum eſt, Pythagoras nomi-

minabat Stupendum ejus, & cui forſan fidem quidam non dabunt, in Socrate & Alcibiade experimentum habemus. Socrates à genio ſuo impulſus ad Alcibiadem properabat de virtute ſive de pulchro apud ipſum verba facturus, & eodem momento domo egreſſus eſt Alcibiades ut de ipſo hoc pulchro Socratem rogaret. Socrates Alcibiadem, Alcibiades Socratem venire ignorabat, venit tamen uterq; eadem de cauſſa; hic ut diſceret, ille ut doceret. Et tanto melius docere poterat Socrates, quanto avidius ad diſcendum Alcibiades properabat. Nimirum ita ſe res habet, ut & is qui tradit,

dit, & qui accipit mutuo ſe complectantur. Agere hic debet, & alter pati. Nec pati quis poteſt, niſi ſit, qui agat, nec agere, niſi ſit, qui patiatur. Quemadmodum autem inter medicos febres alia atq; aliâ ſubinde potione curantur, ita in purgatione animorum non eodem antiqui ſapientes modo verſabantur. Quæ diverſitas omnis naſcitur ex ingenijs eorum, qui agunt, & patiuntur. Quidam riſu, ut Democritus, alij lachrymis, ut Heraclitus, utebantur. Notis quibuſdam Ægyptij, brutis Æſopus, litteræ uni & numeris Pythagoras, cæterique alijs inſiſtebant. Sic docere poſſumus, & non loqui.

qui. Sic idem eſt legere, & litteras non videre; ſic imagines ſunt quod verba. Ita filio ſuo Tarquinius reſpondit. Summa papaverum capita in horto virgula decuſſit, & interficiendos eſſe principes intelligebat. Cujuſmodi ſapientiam in Emblematis habemus. Quæ non hodie aut heri nata, ſed ſapientum primis in uſu fuere. Verum multa in hoc genere ætatis injuria nobis invidit. Vnicum modo jam exſtat, quod prudentiſſimo Cebeti in mentem venit. Cujus Tabulã totius ſapientiæ inſtar, & magiſtram eſſe ſemper exiſtimavi. Et idem ardor nuper animum meum cepit. Cujus fructum tibi jam,

Generoſe Domine, & publico damus. Quemadmodum enim tu & ſtudiorum meorum, & remiſſionum, quæ ad has litterarum amænitates ſe componunt, jampridem domeſticus ſpectator fuiſti, ita ego tuarum virtutum. Præſertim ſummæ humanitatis atque morum comitatis, qua omnes, & me potiſſimum devincis. Vt nihil de tuâ in bonæ mentis & ſtudiorum cultu, quibus illuſtres animæ, qualis tua, publico bono & fortunæ ſuæ parantur, aſſidua contentione jam dicam. Et erecti ingenij tui ſpecimen nuper omnibus hic dediſti, cum maximi Regis tui manibus diſerta, & quam in te mi-

rati ſumus, oratione parentaſti. In quo generoſa indoles tua illuxit, quam à majoribus hauſiſti. Illuſtris parens tuus, belli non decus modo, ſed fulmen, adverſus Danos Polonoſque Carolo & Guſtavo, Suecorum Regibus optimis, maximis, virtutem ſuam ita probavit, ut memoriam ejus veſtrates cum admiratione, hoſtes cum terrore recolere adhuc ſoleant, & venerari. Triginta fere vulnera bello reportavit, totidem ſuæ, totidem tuæ gloriæ monumenta. Vitrici etiam tui, Gabrielis Oxenſternij, viri à virtute & natura conſummati, quem Senatorem & Tutorem regni primum Suecia jam habet, decus

cus ex prudentia quadam infinita, & animi magnitudine ſingulari comparatum, laudi tuæ, atque ardori accedit. Quid quod ex illuſtri Gardæorum familia, cui nobiliſſima parens tua te inſeruit, nomen etiam ampliſſimum in te ſit derivatum. Cujus invidenda gloria ex bellicæ virtutis fama; quæ tantum ſummis mortalium agnata eſt, & à Dijs æſtimatur. Qui Pontum Gardæum neſcit, qui prudentiæ & roboris militaris non exemplum in ſe, ſed prodigium oſtendit. Hæc decora tua, generoſe Domine, hæc tua ad parem gloriæ atque virtutis contentionem incitamenta. Et jam majoribus tuis

parem te spes omnium atque exspectatio ostendit. Nec falles ubi fortunam acceperis, cui destinaris. Vale, illustris Domine, cum Weidenhemio & Bucknero, quos singularis eruditio, & in bonarum artium cultum infinitus amor tibi mihiq; impense probavit. Lugd. Bat. cIↄ Iↄc XXXIV, Kal. Novemb.

Illustri tuo nomini

dicatissimus

M. ZVERIVS BOXHORNIVS.

Candido Lectori.

AMænitatem, mi Lector, quam ad sapientiam plurimum conferre existimabant antiqui, in hoc opusculo adornando sum sequutus. Capita quædam ex prudentiæ civilis præceptis sunt desumpta. Nihil à me dictum fateor, quod non omnibus observatum; sed alia hæc, quam vulgo, docendi & interpretandi ratio facile se cuivis probabit. Per Emblemata & imagines docemus. Quod tantopere antiquis, præsertim in nummis, signis, statuis qua publice, qua privatim non sine caussa usitatum. Cum autem docere non possit imago, nisi vim ejus intelligat, qui videt, non intra paucos versiculos impetum nostrum cohibemus, sed fusioribus dissertationibus cuncta illustramus. Sin

ta-

tamen ratio hæc non arriserit; cavimus profecto diligenter ne mole laborares: quam nemo hic culpare potest, nisi qui nihil legit. Additæ orationes diversis temporibus à me scriptæ, & in Academia Leydensi habitæ, prout officij mei ratio postulabat. Pleræque in eodem fere argumento versantur. Et proinde non miraberis si nonnulla, quamquam aliijs verbis, non semel fuerint inculcata. Veniam tuam in omnibus exposcunt & ætas mea, & infinitæ occupationes, quas, quia continuo me premunt, inter eos morbos habeo, quos hecticos vocant filij medicorum. VALE.

MAR-

MARCI ZVERII
BOXHORNII

EMBLEMATA POLITICA.

A

I.

Anceps alea Martis.



Anceps alea Martis.

QVod Ludioni isti alea est, id tibi bellum, Imperator. Quantum illi ad numerũ jam accessit, tantum mox discedit. Qui jactu Veneris se oblectavit, statim canem latrantem audit. Sic bellum si injustum est, pœnam exspecta; quæ non diu moratur, aut si exspectet, fortius ferit. Si justum est, fortunam cogita, quæ sine judicio deflectit se ubiq; ad pejora & ne in optimis quidem consistit. Ferrum hoc, quod in hostem adegisti, forsan tibi necem impinget. Eodem in loco, in quo tropæum figis, cras tibi tumulum statuemus. Stravisti hostem, & stare te putas; sed jam cadis. Vicisti; sed momentum tantum interest, inter victum esse & vicisse. Qui victus est prosterni non potest, qui vicit ad cladem se accingit. De victoria victus cogitat, dum ruinam

victor meditatur. Prælium Fortunæ lusus est. Pugnat uterque, sed hic vincit, quia victus, ille perdit, quia jam vicit. Uter felicior ignoro; nisi felicior ille sit, qui vicit, quam qui victor futurus. Ille jam accepit, quod hic exspectat. Clades certe victorem trahit, ut magnes ferrum. Moratur illa quidem paullulum, sed mox venit. Frustra est, qui ex una victoria alteram metitur. Nauta qui secundis ventis orientem accepit, rebus ibi compositis ad occidentem tendit. Vicisti? Recte est. Lætare tantisper. nam vinceris ab illo, quem & per quem vicisti. Miles tuus, magnitudine rerum inflatus in te manus suas stringet, quas hosti debet. Hostis autem ad vindictam se componet. Majorem hostem facis, quem vicisti. imo dum hostem vincis, viam ipsi ostendis, qua es vincendus. Proin furori tuo manus injice, & bellum gere non ex impetu, sed necessitate. Necessitas autem sit,

qua cladem exſpectas, niſi ipſe hoſti impingas. Si cum pari, aut minori res tibi ſit, dubios bellorum caſus cogita: qui ſubinde faciunt, ut major te ſit, & qui par, & qui minor fuit. Si cum majori, vires tuas explora. Marſyas cum Apolline certavit, ſed ut nudis ac laceris viſceribus relinqueretur. Atqui aliquando factum eſt, ut major minor eſſet. Sed plures ſunt, qui à majoribus minores facti. Paucitas illorum terrori tibi eſſe debet, non exemplo. Tantillus eorum numerus monet, ut caveas, ne numerus inter illos fias, qui numerari non poſſunt. Si ergo cum majori tibi res ſit, aut pacem, aut fugam, aut moram interpone. Pacem cum potentiori obtinuiſſe honorificum eſt petenti. Fugere tanto plus laudis habet, quanto majus dedecus periiſſe. Sed & quod vi non poſſumus, ſæpe morâ obtinemus.

II.

Ne te quæsiveris extra.



Ne te quæsiveris extra.

TUbis quo futuræ tempestates eminus videntur, prudentiam notat. Belli Imperator conjectis primum in ea, quæ evenire possunt, oculis ad expeditionem se accingat. Quid evenire possit, docebunt quæ aliis evenere. Nobis quippe veteres vixere in exemplum, ut nos futuris. Fortunam suam ut quivis sentit, ita aut sequendam, aut fugiendam ad alios transfundit. Sic nemo sibi tantum aut felix, aut miser fuit. Homines enim ad humana omnia ęque pares sumus. Accidere singulis potest, quod unum aliquando aut evexit, aut oppressit. Ex eventis de caussis judicandum. Mala enim cum sine causis non fiant, sine illis non tolluntur. Miserrimum est ad eundem lapidem impingere, qui alteri poplites succidit. Cave illum, fuge, & utere. Cavet, qui tol-

lit;

lit; fugit, qui alio deflectit; utitur, qui hosti opponit. Prudentiæ est providere quæ eventura. Non ut certum quid definiatur (quod humanum non est) sed ea omnia animo videantur, quæ forsan eventura: ut non in unum, quod ignoramus, sed in omnia, quæ scimus, parati simus. Qui sic agit, falli non potest, ut Mathematicus, qui calendas proximas, aut serenas, aut nebulosas prædicit. Alterutrum enim eorum verum esse debet. Ita res eveniunt, ut edixit, ita edixit, ut evenere. Nam non potuissent aliter evenire, quam prædixit. Si enim quæcumque fieri possunt, prævisa, nihil eveniet postea, quod inexspectatum. Nihil hic credere oportet, sed omnia cogitare. Si certum quid de futuris statuere nobiscum possemus, divinitatis esset argumentum: at cum omnia, quæ fieri possunt, lustramus, prudentiæ munia explemus. Sic ex præsenti rerum statu, non quidem

quod necessario futurum est, sed quid fieri possit, exploramus. Necessarium id omne putamus, quod potest evenire. Ante oculos igitur habenda & quæ facta sunt, & quæ futura. Quæ facta sunt exemplum, quæ futura consilium dabunt. Faciunt illa, ut falli non possis, & factum sit, quod futurum voluisti. Sine his feliciter bellum geri non potest, & si geratur, non virtuti, sed fortunæ debetur. Iam vicit, qui ad hæc attendit. Imo cito vicit, qui his longum incumbit. Cito enim factum dici non debet, quod factum est, sed quod laudatur, postquam peractum est. Sero Imperatorem pænitet, quamvis cito gesserit, quod in re dubia cito nimis decrevit.

Nec

III.

Nec semel, nec simul.



Nec semel, nec simul.

MAnus hæc semina sensim & partim dispargit, ne si omnia simul profundat, omnia corrumpat. Succrescent enim singula, quæ conjuncta peribunt. Nec aliter in procinctu acies explicanda. Totam pessumdat, qui totam simul ostentat. Qui autem partim, totam tuetur. Rationem bellorum ignorat, qui copias omneis simul hosti sistit. Simul enim & suam & omnium salutem ancipiti fortunæ exponit. Damnum acceptum resarcire non potest, quia uni momento impendit, quod sufficere in posterum debebat. Hostes autem majore animo isti prælio instant, in quo omnes adversariorum res vertuntur. Illo enim confecto, in futurum sibi securitatem, & ne hostem quidem promittunt. qui viribus omnibus attritis assurgere non potest.

Medi-

Medicus, ut morbum expellat, non omnia simul præscribit. Ubi prius pharmacum aut parum aut nihil profuit, ad aliud recurrit. Quæ enim singula partim essent profutura, semel & simul data non tollerent morbum, sed augerent. Bellum Reipub. & morbum, & remedium puta. Morbus est, quo hostis irrumpit; remedium, quo obviam hosti imus. Increscet morbus, nisi remedium pro loco, tempore, modo applicemus. Ut in certis tutisque omnes fortunas collocare, singularis est felicitatis, ita dubiis, si necessitas premat, ea modo exponere, quę amissa summam rerum non inverterent, prudentis esse existimamus. Partim igitur educendę in hostem copiæ, ne temere insultet; non autem simul, ne semel fiat, quod semper ferendum.

IV.

Et unus & omnia.



Et

Et unus & omnia.

VT aulam videas, ſphingem propono; illam Echidnæ & Typhonis filiam, quæ quot corporis ſui partes, tot pene formas habet. Vultu, & mammis fæminam, alis volucrem, pedibus caudaque leonem mentitur. Sic in aulis principum vivitur. De illis loquor, qui ad omnia ſe componunt. Nemo unius vultus, dum uni, & dum omnibus vult placere. Unus enim princeps, non unus ſemper, nunc huic, nunc illi intentus, & miniſtri ejus ut uni ſe probent, unius omnia aſſumunt. Boni ſunt ſi bona, mali ſi mala amplectatur. Malum ipſis bonum eſt, non alia de cauſa, quam quia principi videtur Quacunque incedit ſequuntur. Hoc circulo in horas ſingulas rotantur: Protei, qui ſe in omnes eas formas mutant, quas expedire ſibi putant. Nihil ibi

con-

constantius levitate. Nihil levius ipsa constantia levitatis. Solum illud hic stabile quod mutatur. Sed hominem, quem ære jam expressimus, stylo paulo propius describamus. Minus dicam quam tegit. Totum ejus artificium est, bene latere. quippe bene secum actum putat, cum bene latuit. Quod est, ignorari, quod non est, vult videri. Inimicus est, & negat, amicus videri vult, & mentitur. Nisi autem hic lateat, non erit, qui vult videri. Vt enim adulator est, quem ignorat, cui palpum obtrudit, ita non est, cum videtur. ut in scena rex esse desiit, qui diadema atq; purpuram, & Hercules, qui clavam, & Diogenes, qui peram deposuit. Sępe enim & Irus Cręsum, & Herculem Sardanapalus, & Diogenem Callias repręsentant. Sic adulator non est, nisi qui amicus videtur. Tantum autem inter utrumque interest, quantum inter esse, & videri. ut cadaver homo non est, sed videtur.

Inter

Inter hoc & illud tantum distat, quantum inter aliquid, & nihil. Nec distant tantum illa, sed opponuntur: Cum Maximo Platonico loquar. Ex
„ proposito institutoque animi ab
„ amico adulator distinguitur, Si-
„ cut uterque & qui virtutis stu-
„ dio & qui mercedis causa mili-
„ tat, armis utitur, nec tamen de
„ operibus eorum ab externa quis-
„ quam actione judicat, cum pro in-
„ stituti ratione & usu quem uter-
„ que scopum habeat distingui o-
„ porteat. Alter enim quem servat
„ amat, alter se addicit cuilibet. Al-
„ ter in eo quod agit suæ spontis est,
„ alter venalis. Alter iis fidem ser-
„ vat, cum quibus fædus contra-
„ xit, alter ne iis quidem cum qui-
„ bus amicitiam. Eodem adulato-
„ rem ab amico differre puta. Am-
„ bobus enim sæpius accidit, ut eo-
„ dem modo agant, eodem modo
„ cum amicis vivant, cum tamen
„ alter

„ alter ab altero vel ex proposito,
„ vel ex fine, vel ex animi habitu
„ discernendus sit. Amicus enim id
„ quod bonum putat, sive id dolo-
„ rem postea sive voluptatem adfe-
„ rat, cum amico communicat, &
„ ex æquo fruitur: adulator ex præ-
„ scripto libidinis suæ, quicquid cum
„ amico agit, ad luctum suum diri-
„ git. Amicus æqualitatem spectat,
„ adulator bonum proprium. Alter
„ æqualitatem in virtute, alter lu-
„ crum in voluptate. Alter parita-
„ tem in congressu, alter humilita-
„ tem in cultu. Alter veritatem in
„ familiaritate, alter fraudem. Alter
„ emolumentum in posterum, alter
„ in præsens delectationem. Alte-
„ rius beneficia memorari gaudent,
„ alterius fraus sepeliri postulat. Al-
„ ter quæ amici sunt ut communia
„ curat, alter ut aliena consumit.
„ Amici & in secundis rebus fami-
„ liaritas gratissima est, & in ad-
„ versis

versis sortem ex æquo fert. Adu- ,,
lator neque in secundis rebus ex- ,,
pleri potest, neque in adversis us- ,,
quam apparet. Amicitia laude, vi- ,,
tuperio digna est adulatio. Amici- ,,
tia par pari rependit utrinque, adu- ,,
latio claudicat. Qui enim egestate ,,
adductus, ut id consequatur quod ,,
deesse sibi videt, alterum colit, ,,
inæqualem se fateatur necesse est, ,,
quatenus non vicissim ab illo coli- ,,
tur. Amicus si ignoretur, adulator ,,
nisi ignoretur miser est. Amicitia ,,
exploretur major fit, adulatio si ,,
exploretur perit. Amicitia tempo- ,,
re crescit, adulationem tempus ,,
convincit. Ita Maximum suum non ,,
minor ipso Heinsius loquentem dedit. Dicam plura: Libera amicorum judicia, etiam cum benificiis sunt obligati. Liber enim & obnoxius idem esse potest. Obnoxius, quia beneficium accepit, liber, quia ipsa judicii libertate benificio vult respondere.

dere. Aliter adulatores; qui apud alios non sui sunt, non aliorum, sed sui caussa. Nimis dixi. Ut aliis, ita etiam sibi desunt. Aliis, quia non præstant quod debent: sibi, quia non agunt quod volunt. In adulatione quippe necessitas est, quam qui non habet, non adulatur. Nec aliis tantum sic vivimus, sed etiam nobis: non alia de caussa, quam quia aliis sic videtur. Neq; enim nos ex nobis, sed aliis æstimamus. Ita se Jovis filium Alexander, Deum Domitianus credi volebant. Quippe aliis per adulationem sic judicantibus credebant. Miser est, qui sic vivit, nec se suo ipse pede metitur. Se ipsum enim ignorat. Philippi filius est Alexander, homo Domitianus. Neuter credit dum fidem aliis, non sibi habet. Indignum ergo cum aliis, ut umbræ, semper mutari. Servi enim sunt, qui sic adulantur. Imo pejores servis. Servus enim liber non est, quia esse non potest. Illi

liberi non sunt, quia esse non volunt. Ille domino se præbet, quia malâ fortunâ accepit. Hi libertatem abjiciunt, ut servituti mancipentur. In illis fortunam, in his animum damnamus. quem suum cuique natura dedit. Vultum suum tuumque tua in te fortuna mutat, non miramur. Humanum est. Vt alii placeas, cum alio te mutas, exsecramur. Pręter naturam facis. Qui sic vivunt, aut reapse mutantur, aut simulant. In utroque infelices. In uno serviunt, in altero & fallunt, & falluntur.

V.

Sole, soloque.



Solo,

Sole, soloque.

SEgetes, ut ubertim succrescant, læto atq; pingui agro cōseri debent. Ex soli enim nobilitate, & oppido proveniunt, & magis commendantur. Castra metaturus Princeps ingenium loci exploret. Hispida & salebrosa evitet. Culta, læta, fœcunda invadat, & quæ victum suppeditent, quantum satis. Ita tamen ut necessarijs instructus miles vivere possit, non autem delitiarum affluxu delectari. Inopia multos pessum dedit, sed plures voluptas. Inopia enim ad virtutem subinde accendit, voluptas dissolvit. Annibal injuria loci compulsus inaccessas aliis Alpes aceto fregit & in Italiam penetravit. Eundem invictum Alpibus & indomitum armis Campaniæ soles, ac tepentes fontibus Bajæ subegerunt. Adeo, ut cui Italia media Africa fuerat, tunc bustum esset.

esset. Foveri miles debet, non enervari. Fovetur, cum necessaria vitæ præbentur, at vero cum supervacua, enervatur. Innutritus voluptatibus aut de hostium insultu securus est, aut cum in hostem movendum est, vix potest divelli. Quorum alterum ruinam secum trahit, alterum rerum præclare gerendarum occasiones corrumpit. Miles in aciem profecturus vitam non delitiis aut voluptati, sed labori, vigiliis, hosti debet. Necessariis utatur. Voluptas ejus omnis sanguine hostium & cæde explenda est. Nec hoc tantum belli Imperator, sed commodam quoque aëris temperiem, & quam ferre miles possit, attendat. Frigidis natus locis, & ipsa educatione ad rigorem induratus, bellare non potest, ubi æstus adurunt, ut nec in frigidis locis ille, qui solis indulgentia exceptus est. Romanus in Germania bellum olim gerens torpebat, Germanus in Italia langue-

languebat. Illi nimium frigus, huic nimij æſtus adverſi. Ita locum ſuum unicuique, & genium natura fecit. Alijs æſtum, alijs frigus, nonnullis utrumque, ſed cum modo, dedit. In ſuis quiſque ſe poteſt fovere. Qui excedit naturæ ipſi aut vim facit, aut confundit. Non aliter ac ſi in ſilvis delphines, in mari apros educaret. Difficile igitur, ubi debellandum hoſtem habes, cum cæli injuria luctari. Pars autem victoriæ illum bello locum delegiſſe, ubi terra & cœlum aſpirant.

Ne quid nimis.

VInum hoc è vaſculo per vim erumpit. quippe inter anguſtias ejus non vult concludi. Diſcat in hoſtem iturus Princeps non ubique eum debere concludi, ſed utrimque melius tutiuſque oppugnari. Melius, quia duplex hoſtem difficultas premit. qui dum hic viciſſe ſe putat, ibi perdit. Quidquid enim conjunctum eſt, majorem vim intendit. Frangi autem facile poteſt, quidquid divulſum. Jam vicit, qui in partem hoſtes dedit. Qui utrimque invaditur, ubique eſt & timet. Plerumque copias inde movet, ubi præſtaret tenuiſſe. Summam rerum in eo putat, quod ne hoſtis quidem cogitat. Leve autem illud, ubi fortunam corrumpit. Qui unâ ex parte hoſtem invadit, uni & ſibi intentum facit. Ille fugaſſe hoſtem poteſt, vix viciſſe. Qui autem

tantum fugat, novis artibus, parandisque viribus tempus hosti præbet. Fugam suadet, qui fugæ locum relinquit: at vero extrema hosti imponit, qui utrimque salutem intercludit. Ita autem utrimque invadi hostis debet, ut ubique non claudatur. Quem claudis, ad majorem virtutem cogis. Ex desperatione crescit audacia, & quum spes nulla est, metus accendit. Rectè Scipio. Via hostibus, qua fugiant, munienda est. Salutem in manu habet, qui aliunde non exspectat. Quo majore vi premitur, eo majore assurgit. Cædem, quam ante oculos indignam videt, in acie contemnit, & si cadat, gloriosum sibi putat. Vere Tragicus in Hyppolito.

Prohibere ratio nulla periturum
potest:
Ubi quis mori constituit, & debet
mori.

Qui

Qui autem mortem contemnit, jam vitam redemit. Ad extrema redactus in manu & armis spem salutis ponit, quam non prius quam cum istis deponit. Sic autem hostem aut magnâ clade, aut excidio mactat. Nullus perniciosior est, quam quem audacem angustiæ faciunt, inquit Seneca; longeque violentius semper ex necessitate, quam ex virtute corrigimur. Utrimque igitur invadendus hostis, ne totus elabatur, non autem ubique, ne totus insurgat. Nec in bello tantum hoc quærimus, sed etiam post bellum. Qui extremi libertatis, ad instaurandam eam animum appellunt. Extremi autem sunt, qui superbiam victoris per obsequium & modestiam effugere non possunt. Auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium, liberos, propinquos, quos natura unicuique carissimos esse voluit, conjuges, sororesque polluere, bona fortu-

nasque in tributum agere, corpora ipsa ac manus inter contumelias ac verbera conterere infirma vincula sunt caritatis. Faciunt illa, ut victi esse nolint, imo victores fiant, quos debellavimus. Serpentem quo magis premis, eo magis virus suum dispargit: præsertim ubi de sese jam actum videt. Sequatur belli imperator, qui hostes suos victos habet. Satis sit decurtasse vires, sic ut nocere non possint, quibus ante insultabant. Maximum victoriæ momentum est, ipsius victoriæ victos non pœnitere: & ea demum constans atque certa fides, quam immoderato imperio ipsi in aliis non violamus. Is demum victor, qui ita vincit, ut victos se illi ipsi, qui victi sunt, non sentiant. Quod fiet, si dominus, non conditio mutetur. Parum quippe curant subditi, sub quo vivant, modo bene & clementer habeantur. Qui extrema iis infert, quos debellavit, vires eorum accendit

dit atque erigit, quæ jam jacebant. Initium ſalutis, ſpem ejus tenendæ non habere. Satis quiſque putat victum eſſe:at nimium, penitus exſcindi& extirpari. Qui enim victus eſt in victore fortunam, quanquam invitus, admiratur. Qui victum ſe jam ultra premi videt, in eodem violentiam tanquam ſcelus deteſtatur. quam cum ferre non poſſit, invicto animo ſe opponit. Extrema facit, cui extrema infliguntur. Quantum de excidio eorum victor, tantum de ſalute ſua ipſi cogitant. Jam tunc invenit ſeſe animus, ubi non eſt, & capit quod non habet: & cum minor ſit majorem ſe facit. Ad præſentem fortunam non attendit, tanquam non ſit, ſed neceſſitatem ſequitur, ut ſit. Illa leges victori dat,& non accipit. Illa animum & vires victis præbet, quas ne quidem victor exſpectat. Ita qui victi ſæpius vicêre, & victores aut amiſere fortunam,aut periere. Illi ad ſalutem,

hi ad excidium, quod aliis minabantur, ipsi contendunt. utrique causam habent: hi immoderatum imperium, illi necessitatem. quorum utrumque magnos animos addit, nisi quod hoc servet fortunam, illud corrumpat.

Pro-

VII.

Probis probari.



Pr I.

AQuila pullos ſuos ſoli exponit, & eorum aciem explorat. Si immota ſtet, fovet, ſi tremula ſit, expellit. Principes in erogandis dignitatibus ſequantur. Dignitas non eſt niſi à dignis geſta. Digni non ſunt, niſi qui ſuſtinendæ iſti pares. Pares autem habendi non ſunt, niſi qui virtutem probarunt. Nec nobilitas, nec ſanguis, aut ſtudium privatum, nec commendatio, aut preces aliorum locum hic habent. Optimum quemque fideliſſimum oportet putare. Qui majores tantum oſtendit, de ſe & virtute ſua diffidit. Pares hic omnes natura fecit, virtus diſcrimen interponit. Quæ ſola cauſſa priſcæ & cordatæ nobilitatis. Sæpe poſteri majoribus ſuis indigni, nominis tantum & familiæ, non etiam virtutis hæredes. Nec ſanguinis propinquitas

hic æstimanda, quæ non adeo nos stringit, ut male de repub. mereri debeamus. Quippe parens illa omnium est, & mater. Impium autem foret hoc pacto salutem ejus violare. Vt ut cæteris proximi, ipsi plura debemus. Qui commendationem & preces deponunt, non audiendi. Sępe enim affectui, non nobis aut Reipublicæ indulgent. Fides, integritas, magnitudo animi explorandæ aut ex fama, aut rebus. Famæ credendum, si constans, si omnium fuerit. Errat illa aliquando, sed sæpe eligit. Rebus standum, ubi in minoribus quis se majoribus dignum, & sufficere ostendit. Sic Cerialis Britanniæ præfectus Agricolæ, inquit Tacitus, modo labores, & discrimina, mox & gloriām communicavit. Præfecit sæpe parti exercitus in experimentum, aliquando majoribus copiis ex eventū. Ut habere debent virtutes spatium exemplorum. Majoribus dignus, qui

dum in secundis consisteret ad prima laudabiliter adspiravit. Quod sit, si primam dignitatem non licenter more juvenum, qui omnia in lasciviam vertunt, gesserit, & titulum ad inscitiam non retulerit: si noscere omnia, nosci omnibus, discere à peritis, sequi optimos fuerit conatus: si nihil appetierit ob jactationem, nihil ob formidinem recusarit. Si vincere alios inglorium, atteri sordidum putarit. Quorum illud modestiæ est, hoc autem magnanimitatis. Si quis alios vincere semper velit, aliquando repulsam patitur, atque sic auctoritatem evertit, & si vincat, quos inferiores relinquit infestos sibi reddit, atque sic diminuit amorem. Qui vero ab aliis atteri sese patitur, famam perdit, & indignus illis videtur, quæ jam habet. Tantum abest, ut ad altiora sit promovendus. Quippe generosi animi est, cum virtute sua aut exi-
stima-

ſtimatione ita colluctari, ut utraque & virtus & dignitas accipiat incrementum. Hæc ſi in levioribus qui probarint, magnis deſtinandi ſunt, quia magnis pares. Rempublicam corrumpit, qui ad hæc non attendit. Cum periculo Reipublicæ diſcit, qui in ea conſtitutus ignorat, quæ jam didiciſſe oportebat. Qui enim adhuc diſcit, ſæpe impingit. At vel ſemel tantum & leviter in publicis erraſſe, id aliquando facit, quod corrigi nunquam, aut tolli poteſt. Nec ſuffecerit pœnam delinquenti inferre. Exemplo enim, quod ſtatuis, non reddis, quod Reipub. ereptum. Proinde officijs & adminiſtrationibus præficiendi potius non peccaturi, quam puniendi, qui peccarunt. Qui enim bonum evexit & clemens audit, quia non punit; & bonus, quia de eo Reipub. proſpexit. Qui autem malum præfecit, aut ſciens, & ſic in Rempub. eſt iniquus, aut ignarus

narus malum esse, & sic cogitur prius judicium suum damnare, quod auctoritatem evertit, & pœnam inferre, quod clementiæ famam expellit. Nihil enim est quod æque apud suos Principem ingratum reddat, quam pœnæ, etiam cum merito imponuntur. Præsertim cum pœna non fuerit imponenda, nisi qui imponit pœnæ merito dedisset occasionem.

VIII.

Tecum habita.



Nun

Tecum habita.

PEr testudinem alteram prudentiæ partem designamus, quæ in præsentibus consistit. quæ est sic ad præterita attendere ut futura non negligamus & ita ad utrumque, ut de præsentibus etiam cogitemus, dum aut fortunam, quæ nunc est, tuemur, aut collapsam instauramus, aut novam volumus excitare. Quę ut aliis aliquando artibus, ita bello potissimum optinemus. Dum quisque eorum tenax, quæ habet, aut propulsat virtutem nostram, tanquam iniquam, aut non sua tanquam sua defendit, aut etiam invidet felicitati nostræ, non alia de causa, quam quia ipse parem non habet. Primum hic est præliari secundum vincere & triumphare. In illo virtutem, in hoc fortunam estimamus. Nemo victoriam ante quam bellum cogitet, nemo ex bello victoriam sibi spon-

ſpondeat, niſi prudentiam impendat. Quæ ut in iis quæ habemus, ita in iis quæ non habemus potiſſimum conſiſtit. De commeatu loquor, qui ad vitam aut bellum neceſſarius intercipi non debet. Alias quippe nec vivere miles poſſit, nec præliari: utriuſque & vitæ & belli inſtrumentis deſtitutus. Proinde aut habere ea in promptu oportet, aut aliunde exſpectare. Si in promptu ſint, in neceſſarios tantum uſus impendenda. Qui enim hic profuſus eſt aut liberalis, ſæpe paulo poſt eſurit, eo nomine potiſſimum miſer, quod non habeat, quæ ante ſuperfuere, & adhuc poterant ſupereſſe, ſi neceſſitatem fuiſſet ſecutus. Ex ſecundis adverſa, ex abundantia ſæpe inopia, naſcuntur. Sic ut fere deſit, quod non deeſſet, niſi defuiſſemus nobis, cum nihil deeſſet. Locum belli, moram hoſtium ignoramus. Sæpe hæc alio fortuna vertit, quam cogitamus. Itaque habenda

benda quæ superſunt, tanquam non ſint, ut ſint, cum neceſſitas premit: præſertim ea, quæ & conſumit uſus, & denuo præſtare non poteſt. Si commeatus aliunde exſpectandus, viarum ſecuritati conſulendum eſt, perquas vehuntur. Quippe intentus hic hoſtis agit, qui viciſſe ſe putat, cum ſubſidia aut vitæ, ant belli præcidit. Victoriam non relinquit hoſti, ſed donat, qui hoc non obſervat. Commeatus ergo ſi in manu noſtrâ ſint non profundendi, ſi aliunde advehi debeant, ita ſecuritati itinerum eſt conſulendum, ac ſi præſentes eſſent, quos exſpectamus.

Ad alia teſtudinum exemplo Principes provocamus. Neque enim unum modo nobis illæ oſtendunt. Vt qui hominem videt, & animam cogitat, & corpus. Teſtudines ut domicilium ſibi à natura præſcriptum non excedunt, ita ſuo ſe Princeps modulo debet metiri. Qui ſecus

agit

agit non imperat, ſed vagatur. Nuſquam eſt, dum ubique eſſe vult. Quippe parem omnibus vim & auctoritatem commodare non poteſt. Perdit ubi promovere ſe putat. Quæ habet relinquit, quæ non habet invadit, & ſic amittit non raro, quæ habebat. Quaſi vero non ſatis promoverit, qui quod jam habet ſervavit. Qui uno ictu duos feriendos ſuſcepit, non ita utrumque premit, ac ſi unum cogitaret. Quantum enim impetus ad unum transfertur, tantum alius non ſentit. Sed & uterque ſæpe elabitur: cum periiſſet uterque, ſi ſinguli fuiſſent tentati. Modum ergo imperijs poſtulamus. quem quæ non habent mole ſuâ ſe ipſa ſubvertunt. Neque enim imperium eſt, quod longe lateque ſe diffundit, ſed quod tenere ille poteſt, qui accepit. Inertiæ tamen dulcedinem non inculcamus, quaſi de augendo imperio ſecurum principem eſſe oporteat. Ita

ſerva-

servare illud decet, ut augeatur, ne dum progredi nolumus, recedamus, ita augere, ut ne diminui sit necesse, quia pares non sumus.

Tertium jungo, & testudinem secum habitantem secutus vitam privatam præ publicâ commendo. Illa quieta, stabilis, sua: hæc ardua, subjecta fortunæ, aliorum. Ibi modestia est, quæ suis contenta, hic ambitio, quæ satisfactum sibi non putat, nisi cum aliis dominatur. Sed servit ubi se putat imperare. quippe non sua agit, sed aliorum: & quot subditos, tot dominos habet. Salus eorum necessitatem imponit, quam non potest evitare. Ita gregem suum pastor sequitur; & tamen dicitur dominari. Magnificum magistratus nomen, sed quod specie suâ multos fallit. Aliud enim loquitur, titulos, & gloriam, aliud tegit, infinitas molestias, & difficultates. Nec enim domini tantum subditi sunt, sed sæpe ho-

pe hostes. Qui non raro beneficia in publicum collata injurias interpretantur. Cum vulgo res est, quod sine judicio immane quantum potens impetum ubique sequitur, non rationem. Quod laudavit, mox damnat, & cum factum est, eum culpat, qui fecit. Adeo ut ejusdem sit eundem ob idem & in principio amasse, & sub finem odisse. Neque enim judicat, sed movetur. quemadmodum marini fluctus impetu quodam aut destituunt naves, aut propellunt. Quæ bene gesta aut æstimare non potest, aut contemnit. quippe bonum ignorat, dum non ipsum, sed ejus speciem sectatur. sicut infantes pictas in tabula cupedias manu apprehendunt; non quia sunt, sed quia videntur. Quæ leviter commissa, interpretando accendit. Non aliam ob caussam, nisi quod odisse malit, quam amare. Quemadmodum plerique injurias magis, quam beneficia extollunt.


lunt. Sic de publicis unusquisque judicat, quia sua putat: de magistratu quia forsan ad eum non pervenit. Sed & populus quemadmodum ipse instabilis, ita etiam, quæ bene se habent, per se stare non sinit. Quicquid novum est, isti se probat; improbandum denuo, ubi aliud placuerit, non quia melius, sed quia novum. Mox ad præterita recurrit, aut præsentia esse vult, quæ adhuc futura. Adeo ut hoc solum sciat, quod ignorat, & fieri velit, quod aut fieri jam non potest, aut adhuc debet exspectari. Ita magistratus non sibi innocentiam suam, aut virtutem debet, sed illis, quibus obsequium relictum est. Quod quam difficile sit nemo ignorat. Ideo enim vulgus sæpe negat licere, quia vult, non quia haud debuit licere. Durum est cum hac bellua in tanta animorum varietate colluctari: & fieri non potest, ut omnibus se unus probet. Singuli diver-

diversa & capiunt, & amplectuntur. Pertinacia enim est, quæ ad cætera mala accedit, & nihil sibi patitur persuaderi. Qui hic vulgo se opponit, magis movet. Vt qui in mari adversus fluctus audentior invehitur, magis eos attollit. Nec aliter Sapienti evenit. Cum exeunti è theatro confertæ multitudini obniteretur, ut adversum se populo probaret, sæpe caput vir optimus impegit. Ita qui alijs præest, ut omnium dominus sit, omnibus servit. Aliter privati, dum sibi ipsis & bona sua, & mala possunt imputare. Si illa, sibi gratulantur, si hæc, seipsos absolvunt, quia ipsi fecere. Tantum est in utrâque fortuna & spes suas, & metus moderari. Sic ut melius sit parere, quam imperare. Cum imperare & obtinere non nostrum sit, sed aliorum. Parere autem in nostrâ est potestate. Quid quod hoc ipsum parere, sit imperare. Nemo enim patet, nisi qui obsequium sibi indixit.

Loquen-

IX.

Loquendo & tacendo.



Loquen-

Loquendo, & tacendo.

NOn prætento pollice, aut exſertâ dextrâ, ut dicturi olim, ſed monſtro ſilentium indicimus: cujus novâ hac & inuſitatâ forma docemus, quod in vita humana difficillimum eſt, bene loqui, bene tacere. Quorum utrumque ſummam felicitatem abſolvit. Silentio primum natos natura damnavit. Vnde infantes nominamur. Nec enim ea ætate loqui oportuit, quâ omnia neſcimus. Mox pro captu mentis & rerum dimidiata verba pronuntiamus. Deinde tota efferimus, & à beſtiis diſtamus. quippe cum interpres rationis ſermo ſit, hic cæteris animantibus datus non eſt, quod illa carerent. Nec enim Celſo credimus, qui providum ſui naturæ inſtinctum, rationem appellavit: & in hominem iniquus eſt, qui

eum solum hic non patitur regnare. Vnius ergo hominis est loqui. Quod non artis beneficium est, sed naturæ. Ita infantuli duo à Psammiethico Ægyptiorum Rege in semotum aliquem locum conjecti, postquã vagire destitissent, loquutisunt. Nec id à nutricibus habuere, quibus linguæ abscissæ;nec ab aliorum consuetudine, quia nemo accedebat. Frustra tamen de linguæ antiquitate Ægyptii, & Phryges certantes, pro se naturam vocabant. Neque enim ab ea est, sive Phrygum sive Ægyptiorum lingua, sed tantum loqui. Si à natura hæc aut illa esset, omnes eam usurparent. Vnde, nasci hominem & mutum & surdum, audireque prius pueros, mox loqui Aristoteles existimavit. Nec enim Græce loquitur, nisi qui aut ita loquentem audivit, aut lectione percepit. Vocem igitur distinctam natura, sed aliis usitatam

ars

ars & institutio præscribit. Sic ut ad hanc illa nos disponat. Ut domus si materiam videas, à natura, si formam, ab arte habet. Sed ut loqui naturæ, sic tacere subinde, ubi loqui possumus, prudentiæ esse arbitramur. Nec mirabimini si qui de silentio sermo est, loquacem me fecit. Loqui enim non prohibent silentii præcepta, ubi illa ipsa docentur. Quemadmodum medicus de morbo loquitur, cum de sanitate agit, & de ineptiis Sophistarum Philosophus, qui artem bene disserendi profitetur. Silentium non nisi unitatem esse suis olim Pythagoras persuadebat. Qui enim solus est etiam cum loquitur, tacere videtur. Nam loquitur tantum sibi. Sive autem quis cogitet secum, sive loquatur, adhuc tacet. Quin vero non apud nos, sed alios silemus. Nec illa tacita nobis videntur, quæ scimus, sed aliis, qui igno-

rant. Et non homines illa res, sed Deos autores habet. Sic tacitam Numa, Harpocratem Ægyptii, Sigalionem Græci, Angeroniam Romani, aris & templis coluere. Tacita ex disciplina Pythagoræ, qui ἐχεμυθίαν eam nominabat. Illa Camænarũ una docebat, sapientũ esse ut quędã loqui, ita quædam tacere. Harpocrates infantis forma os dextra obsignabat. Nam & ætas illa silentio transigitur, & invidendæ virtutis est linguam cohibere, Quem optimo acceptum consilium Romani, pessimo Italia, juxta cum Serapide & Iside, L. Pisone & Gabinio Coss. expulere. Eundem illum cum Sigalione fuisse quidam arbitrantur. Certe idem, silentium dico, & nomine & forma indicabat. Angeronia tutelaris & custos Dea imperii, ore obligato, taciturnitatis indice, intercedebat, quo minus palam fierent Reipublicę arcana.

cana. Cui populus ex vetere instituto XII Kal. Ianuarias, prudentes ex sapientiæ præscripto semper litabant. Ita Dii ipsi Deæque tacebant, & tacendum esse gestu atque exemplo alios monebant. Quanquam Homerus linguam aliquam Deorum fuerit commentus. Ita fluvium à diis Xanthum, ab hominibus Scamandrum; avem ab illis Chalcidem, ab his Cymindim, urbem ab illis Batieam, ab his Myrinem appellatam disertim tradit. Quem tamen aut cum diis loquutum, aut loquentes audivisse credant, qui volent. Mihi compertum non vidisse cælites; quippe cæcum fuisse ab antiquis perhibetur. Et profectò siluisse magis Deos, quam loquutos, ex paucis adeo vocabulis facile potest constare. Sed frustrà de Diis agimus, ubi homines laborant. Cælo bene prospectum fuerit, si terris consulamus.

Silerem hic, ſi tacenda mortales ſilerent. Nunc tacendum non eſt, quia loquuntur. Ea dico quæ ſiluiſſe oportebat. Nec noſtra tantum querela illa eſt, ſed antiquorum. Eadem enim mala patimur, ſed noſtra graviora videntur, quia ſentimus. Quam frequens illud apud Homerum?

Ποῖον σ' ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;

Artem dicendi multi & veterum & recentiorum tradidere: qui tacendi præcepta componeret vix unus. Forſan quod uniuſcujuſque ſit ſibi ipſi ſilentium imperare. Imo Rhetorum præcepta tacenda quædam docuerunt; vitia dico ſermonis. Et profecto quid aliud eloquentia omnis eſt, quam ars bene dicendi? Quis autem bene dicit, niſi qui quædam tacet? Sic ut ejuſdem artis ſit & ſermonem, & ſilentium bene inſtituendum docere. Sed nos aliud hic

volumus ; quod duabus litteris se absolvit. ST.

Habetis jam & legitis, quod sequi quidem, efferre non potestis. Tale enim esse debebat, ut silentium indicaret. Vel hinc tantum discite quanto facilius sit tacere, quam loqui. Agite, litteras modo numerate. Qui loqui discit supra viginti habet, qui tacere vult, duabus monetur, & qui jam tacet sine ullâ se tuetur. Nemo hic sectam facit. Nec Ciceronis aut aliorum æmulus audit, qui tacet, cum tamen in tot partes abierint magistri dicendi. Nec seculum, quod sub Augusto fuit, sed suum sequitur Semper enim sibi constat, & Spartana brevitate, aut tumore Asiaticorum non conspurcatur. Ad versuum vel orationum numeros se non adstringit, de quibus tam multa operose inculcantur. Nec enim breve aut longum silentium vide-

tur, nisi illi qui audit, & maluisset non taceri. Quotiens quis tacuit, in leges Rhetorum, & Grammaticorum non peccavit. Sic & liber, & suus est, & soloecismum non facit, nisi cum loquitur, quod tacere præstabat. Nec laudat, nec vituperat, nec accusat, nec absolvit, nec dissuadet, nec hortatur. Et facit tamen hæc, non aliis, sed sibi. Partes non habet, ut oratio, quæ sine illis, tanquam membris destituta, cadit. Et incipit simul & concludit, &, ut verbo dicam, omnia in se complectitur, etiam cum nihil audimus, vel videmus. Gravissima hæc illis sunt, qui loqui possunt: facillima non nisi Choromandis, Troglodites, & si quos plures silentio natura damnavit. At quid damnavit! Feliciores enim nobis sunt, qui dum loquimur totiens & in divina & in humana peccamus. Miserum quidem

dem est loqui non posse, peius tamen loqui ubi tacere oportet, summæ vero felicitatis, sed quæ paucis contingit, ex prudentiæ rationisque ductu & bene loqui posse, & bene tacere. Ad silentium nos vocat natura, & quidquid in eâ magnum æstimamus. Tacita fides, tacita fidei commissa, tacita pecunia, & infinita alia in libris juris consultorum. Tacitum cælum apud Maronem lib. 3.

Sidera cuncta notat tacito labentia cælo.

Tacita luna lib. 11.

navibus ibat
A Tenedo tacitæ per amica silentia lunæ.

Tacitum Latonæ pectus lib. 1.

Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.

Major enim taciturnitatis affectus. Vnde illa Terentiana.

Ut mecum tacita gaudeam.

Tacitæ virgines Vestales. Horatii est Od. xxx. lib. 3.

Dum Capitolium
Scandet cum tacitâ virgine pontifex.

Sic ipsis & perpetuus ignis, & simulachrum Palladis, & æternitas imperii juxta cum silentio commendabatur. Silentium in auspiciis dictum, quod vitio carebat, & religionem non turbabat. In sacris cum sacerdos clamaret, LINGVIS FAVETE, silentium indicebat. Sic ut favere crederetur ille, qui taceret. Fatali urbis nomini veneratio & auctoritas à silentio accedebat. Et Eleusiniaca sacrá hoc nomine potissimum constabant. Toto quadriennio eorum sacerdotes silebant, & Mystæ dicebantur. Quorum exemplo Pythagoras annum insuper unum ad exilium vocis adjecit. Prima enim sapientiæ rudimenta putabat, posse tacere.

Quasi

Quasi loqui non posset, nisi qui tacendo audisset prius, quæ loqueretur. Et sic à Sophistis quam maxime distabat, qui loquaculos suos reddebant, non sapientes, & declamationibus scholas, non animos implebant. Imo divinum quiddam silentium esse idem Pythagoras existimabat. Vnde & à piscibus abstinere suos voluit, quod nemo unquam eos audiret. Quæ sola jam suffecerint, ut ne si plura dixero, silentium quis mihi hic imponat. Bruta videte, quibus turbatum quendam implicatumque sonum natura dedit. Non utuntur eo, nisi aut necessitas cogat, aut tempestas anni invitet. Et nos quidquid in buccam venit effutimus. Mali quondam ominis habebatur, si pecudes forent loquutæ. Boves humanas voces aliquando edidisse legimus: sed quotiens illud factum, aut exercitus deleti, aut conjuratione servorum Italia

oppressa, aut graviora adhuc mala incidere. Nec aliter nos ubi vel petulanter, vel imprudenter loquimur, & in nos, & in alios, & in Rempub. peccamus. In nos, cum nobismet ipsi ea impingimus, quæ, vel nostri causa, clam habita oportebat. Ita sæpe nos reos peragimus, à nemine, nisi à nobis, accusati. In alios, cum & lædimus eorum famam, & fallimus, & mentimur. In Rempub. cum arcana ejus stolide propalamus. Loquere ut te videam, dicebat Socrates. quippe indicium animi & viri, sermonem esse existimabat. Ita enim quisque loquitur, ut sentit. At ego illum demum recte videre me puto, qui tacet. Vt magnetem æstimamus, & tamen virtutem ejus nec sentimus ipsi, nec, si ferrum absit, videmus. Enimvero dum quid tacetur non quidem illud ipsum, sed prudentem colli-

colligimus, per quem ignoramus, quod tegit. Sic probat ſe quod reconditur, & nos laudamus hoc ipſum, quod neſcimus. Sed tacendum ſubinde eſſe, facile quivis admiſerit, at vero ubi, & quando, & quomodo plerique ignorant. qui loquuntur ubi tacere, & tacent, ubi loqui debebant. Quædam profecto efferre non poſſumus, quædam non debemus. Illa aut captum noſtrum excedunt, aut ignoramus. In utrumque non raro impingimus, dum tenuitatis noſtræ ignari ipſi ſumus. Infinita adhuc ſunt, ad quæ acies ingenii noſtri adſurgere non poteſt. de quibus dum diſſerere multa volumus, majeſtatem eorum deterimus; ſimiles illis, qui & tenebras videre volunt, & ſilentium audire. Neque enim tenebræ ſunt quæ videntur, neque ſilentium quod auditur. Proinde præſtat hic tenere & ex ingenio, & ex ſermone

mone modum: ne aut præcipites cadamus, dum ad ea, quæ extra nos ſunt, tendimus, aut ne in ipſa illa peccemus, dum vix animo cogitanda verbis explicamus. Reliqua ſunt quæ ſciri poſſunt, & alii noverunt, ſed in quibus nos rudes & imperiti. quorum ſcientiam dum operoſe oſtentare volumus, idem nobis evenit, quod caloni, qui ad citharam, aut bovi, qui ad ephippia acceſſit. Nam uterque ludubrium omnibus debet. Non autem major gloria eſt, quod noveris, dicere, quam quod ignores ſilere. Ibi enim oſtendis quid ſis, ſed laudem mereris, hic quidem etiam quid ſis, ſed eſſe, videri non debebas, & dedecus reportas. Sic ut audire hic malim, quam loqui. Qui enim audit ſibi conſulit dum diſcit, qui loquitur indicio ſuo, ut ſorex, ſe prodit. Dum ita tacet imperitus non habetur, dum ita loquitur, famam

mam corrumpit, quam habebat forsan, priusquam loqueretur. Quod Megabyso Persæ olim evenit. Is purpura splendidissimus Apellem convenit, & quamdiu taceret, de imaginibus recte judicare posse credebatur, sed ubi judicare cœpit imperitissimum se ostendit. Sic nemo stolidum crederet, si posset tacere, & ille ipse sapiens audiret, si sermonem cohiberet. Nemo Miletidem nosset, si nunquam esset loquutus. Sed loquutus est & ideo fatuus audit. Sicut pro modulo suo quisque loquitur, & sapit, atque liberaliores in loquendo sunt, qui tacere debebant. Sed & scire plura oportet, quam loqui. Hoc enim hic scire est, nescire velle, quod non ignoras. Omnia tacenda, aut dicenda quæ oportuna. Linguam Erechthio & Aristomeni non præcidisset Valentianus, si eam ipsi potuissent moderari. Nunc autem ea

ex

ex parte pœnam dederunt, in qua peccarunt, & non tacendo fecerunt, ut loqui postea non possent. Charidemus Atheniensis, quod plures Persarum, firmiores Macedonum copias dixisset, à Dario interfectus est. Adeo ut periculosius nihil sit quam de aliis loqui, & judicare. Nec mala hic tacenda tantum sunt, sed etiam bona. Præsertim si dicendo obesse magis nobis & aliis, quam prodesse possimus. Aruleno Rustico Pætus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati exitio fuere. Nec enim ut virtutis, ita temporis habebant rationem, quo bonis omnibus infestus princeps erat. Loqui semper, quod verum est, boni viri, sed tacere quiddam, quod scimus & verum est, prudentis esse arbitramur. Velut Socrates, quamvis pictor esset, de imaginibus verba non fecit, cum de Deo & virtute disputaret,

taret, & in fabrili arte verſatus Demoſthenes de incude & ferro tacuit, cum in Philippum peroraret. Et quemadmodum liberalis non eſt qui omnia ſua alteri donat, ſed profuſus, ita qui effundit, quidquid audivit, non diſertus eſt, ſed loquax & ſimul iniquus. Futiles illos tango, qui nihil poſſunt continere, quibus idem evenit, quod piſcatoribus illis, qui quæ ceperant perdidere. Dominium eorum, quæ norunt, in alios transferunt, nec actionem inſtituere poſſunt repetundarum. Quod enim ſemel dictum eſt revocari non poteſt. Vnde & alata verba Homerus nominabat. Sed privata diſpendia tanti hic non ſunt, cum publica videmus, in quibus maximopere peccatur. De arcanis loquor, quæ ſciri non debent, niſi cum peracta. Qui ſtatim poſt convivium cibum evomit, ab eo nutriri non poteſt: & qui ſecreta

pro-

prodit, fructum eorum non capit, quia secreta non mansere. Si arcanum est, cur alteri patefactum? An ut contineret? Similem tui arbitrare, qui continere non potuisti, & si non sit in te exemplum habet, quod sequatur. Imo secretum nòn putabit, qui à te accepit. Neque enim tale videtur, quod quis præter te novit. Sic ut dum aliis tradis non commendes secretum, sed propales. Minimum hic cum aliis, cum nobis multa loquamur. Quæ enim aliis dicuntur arcana non sunt; quæ nobis, manent, quæ fuere. Illa neç gaudio, nec metu, nec spe, nec amicis extorquenda. Scire enim hæc debemus, tanquam ignoremus, imo ignorare, tanquam sciamus. Arcanum si soli tibi commissum, si solus exequi potes, solus habeto. Si aliis, quorum interest, prodendum, non statim prode, sed cum usus & necessitas cogit. De ipso exe-

exequendi arcani momento & articulo loquor. Quæ enim diu multi ſciunt, mox nemo ignorat. Sola illa hic certa fides, quam quis ſibi tantum habet. Ita ne quidem filio ſuo Antigonus rex, ſed nec togæ ſuæ Cęlius Metellus credebat. Non linguæ tantum, ſed animo frænos hic impono. Qui lingua tacuit, ſæpe animo loquutus eſt, & vultu prodidit, quod animo loquebatur. De externis quibuſdam notis ago, quæ nonnunquam indicia eorum, quæ vel agimus jam, vel cogitamus. Ovidianum eſt.

Sæpe tacens vultum, verbaque vultus habet.

Sic ut non tantum hoc tacere ſit, verba non efferre. Sæpe quis videt in nobis, quod non audivit, & ideo audiſſe ſe putat, quia vidit. Quamquam qui videt, conjicere tantum poteſt, quod qui audivit certo ſibi perſuadet. Adeo ut longe gra-

gravius sit audiri, quam videri. Audire nos ipsos præstat, & tacere. Vnam linguam natura dedit, pauca loquamur; duas aures, sæpe arrigamus. Quas, si nescitis, inter deas antiqui habuere. Forte quod hac parte ad Deos maxime accedere se putarent, qui audiunt quidem mortalium preces, sed non loquuntur. Ridebitis haud dubie aures quoque inter Cælites à me numerari. Sed antiquitatem sequor, quæ in lapide pro me loquatur. Is Patavii apud Ramnusios sic habet.

AVRIBVS
B. D. D.
PETRVSIA
PROBA

MAGISTRA
GALGESTI
HERMEROT.

B. D. D. *Bonis deabus dedicabat*, inter-

terpretantur eruditi. Solis igitur auribus inter reliquas corporis partes contigit Dearum numerum augere, & ita, ut bonæ dicerentur. Inde tot honores ipsis delati, tot ornatrices auricularum. Romæ legetis, quod ante sæcula aliquot scriptum est, ut cum loqui desiissent veteres illi, marmora docerent.

IVLIÆ. ☋. LIVIÆ. ☋. AVGV.
AVRICLÆ
ORNATRIX.

Injurius certe in earum numen Dionysius tyrannus fuit, quem cum pro amico Aristippus ad pedes ejus prostratus interpellaret, in pedibus aures habere dicebat. Nec mirum si illas contempserit, qui toti cælo illudebat. Aures tamen Deæ sunt, in quarum censum lingua non venit. Adeo ut divinum

magis

magis sit audire, quam loqui. Ita tamen tacendum, & audiendum est, ut aliquando loquamur, ne frustra audivisse videamur. Et Fabulanum, & Ajum, & Loquutium, sermonis præsides Deos, prisci etiam habuere. Linguæ diis sacræ, & victimarum in ignem, sacrificii loco, jam tum Homericis temporibus conjectæ, quod eam optimam corporis partem existimarent. Ut non sine numine hoc ipsum sit, loqui. Amyclæ silentio periere. Caussam aliam ex me non quærite. In hostium manus non incidissent cives, si forent loquuti. Nec multis hic ero. Dum tacenda audivistis, quæ loquenda ignorare non potestis. Bene loquutus est, qui quædam tacuit, bene tacuit, qui quædam est loquutus. Imo tacere subinde nihil aliud est, quam loqui. Qui tacet consentit apud juris auctores, & Parmeno Terentianus;

Tacent, satis laudant:

Non ergo nimium hic loquendum, ne post mortem æterni silentii pœnam Rhadamanthus imponat. Nec enim silentes defunctorum omnium manes, sed eorum tantum, qui loquendo hic silentium meruere. Sic ut consultum linguis apud inferos videatur, quæ, dum viverent, dicendo aut attritæ, aut defatigatæ. Claudianum audite:

Qui justo plus esse loquax, arcanaque suevit
Prodere, piscosas fertur victurus in undas,
Ut nimiam pensent æterna silentia vocem.

Nec interea nimis tacendum, ne silentio hic pereamus. Ita Socrates loquutus est, ut in dicendo vel necessitatem, vel opportunitatem videret: ita Cato, ut nullum verbum emiserit, de quo doleret.

X.

Post fata superstes.



Post fata superstes.

IGnis cineri suppositus, & qui exstinctus videbatur, eruitur tamen, &, quæ sepulta fuerat, vim explicat. Haud aliter principes, postquam exempti rebus humanis, & vivere simul atque imperare desierunt, post fata etiamnum superesse debent: & possunt, dum post se conditos accipiunt destinatum ante successorem. De illis ago, qui acceptum à majoribus principatum, non exspectatis aliorum suffragiis, in posteros transfundunt. Principes mortales, quia ut ut supra homines positi, non tamen extra fragilitatem humanam: Respub. æterna, quia licet hi aut illi fuerint, continuo tamen sunt, qui sequantur. Hoc ipsum etiam plantis natura dedit. Semen relinquunt illæ, cum pereunt. In quo non quidem ipsæ, sed earum spe-

cies renaſcuntur. Mori omnes natura voluit, ultra mortem vitam proferre jus & ratio invenit. De ultimis morientium tabulis loquor, quibus mandatur, quod factum volumus & ipſimet noſtri ſuperſtites ſumus. Auctoritatem votis noſtris addimus, etiam cum præſtare non quimus. Sic quaſi futura, contra philoſophorum opinionem, curamus. Chartæ, ceræ, mutæ quædam litteræ nomine noſtro cum poſteris loquuntur. Nemo poſtrema hæc vota non exſequitur, niſi qui peccat in pietatem. Cum ipſis morientium oſculis, cum elabentis animi ſingultibus haurimus, poſt emiſſum ſpiritum, poſt corpus & oſſa condita æſtimamus. Ad obſequium omnes aut pænis, aut præmiis invitantur. Nemo hic ſibi metuat, niſi qui aut legum, aut ſui ipſius non habuit rationem. Pater filium præterijt.

Vota ejus exitum non consequuntur. nam contra naturam fecit. Titius bonorum suorum hæredem Cajum instituit, sed testes non adhibuit. non fiet; quippe contra leges peccavit. Irus cadaver suum balsamo inungendum & mausolæo imponendum mandavit. nemo faciet: quia & tenuitatis suæ non meminit, & assem non reliquit. Maro Æneida suam flammis exuri voluit. Augustus intercessit. Dignũ enim opus erat quod ætatem ferret. Cætera & de pera sua atque dolio Diogenes, de passere suo Lesbia, de ineptiis suis Volsinius potuit testari. Nullus hoc unquam homini denegavit. Cuivis præstatur, nisi quis sceleribus suis hæredem fiscum fecerit. Nemo fere philosophorum, qui dum superesset, & scholæ, & nominis, & sectæ hæredem non adornaret. Democritus ut atomos, Pythagoras ut

abstinentiam à fabis, alii, ut alia ejusmodi febriculosa commenta ad posteros propagarent. Nec aliud principem hic decere existimamus. Cura illa tanto magis eum tangit, quanto majora tenet, & moderatur. quam qui negligit, non curat principatum sed omnium rapinis exponit. Nam dum deest, cui debetur, quivis invadit; & accipit, non qui meruit, sed primus occupavit. Vt derelicta loca in ejus potestatem veniunt, qui primo ingressus est. Sic ut dum de imperio contendunt multi, omnes subinde pereant, quia unus non destinatus. qui nullo negotio aut scribi potest, aut nuncupari. Hoc pacto facile magnis malis obviam itur, & adhuc regnat, quamvis fato functus, qui dum viveret, sibi alium suffecit. quemadmodum in liberis suis parentes jam mortuos superesse existimamus. Præsertim si eos secun-

dum

dum exemplar suum & mores composuerint. Longe aliter atque Hippocrati evenit, qui in filiis suis non supervixit, cum stolidissimos haberet. Capita, quæ cerebri vacua stupor oppleverat, helleboro purgare non potuit, & plane medicorum in filijs ars defecit. Quo ipso non semel reges laborant. Quod Antoninus optimus non fuerit imperator, filius fecit, quem regni, non virtutum hæredem accepit. Et successores multi, haud principes gignunt. Non enim princeps ille est, qui succedit, sed qui ita se gerit, ut non tam ex principe, quam principatui natus videatur. Non contendam hic præstetne nasci, quam eligi. De quo acrius in scholis, quam de imperio in repub. certatur. Nisi quod hic homines, ibi tantum argumenta jugulentur. Nascuntur alibi principes, alibi eliguntur. Bene nasci-

tur, qui eligendus fuerat, etiamsi non natus. Bene eligitur, qui nisi electus jam esset, nasci debuisset. Vbi quis nascitur, sæpe naturam, ubi eligitur, sæpe suffragia damnamus. Gignendi tamen hæredes aut destinandi. Si geniti ad naturam educatio, & virtus accedat. Si destinandi, non nisi qui capaces. imo etiam, qui nobis meliores. Quibus augetur gloria nostra, non cadit. Eo enim minor nobis est, quia major, & à nobis destinatus. Vt ut enim nos non ita magni, dum majorem relinquimus, maximi sumus. Paucis dicam. Proximus omnium optimus. Et si optimum ignoratis, Plinium audite, ubi optimum commendat.
,, Iustisne de causis S. P. Q. R.
,, optimi tibi nomen adjecit? para-
,, tum id quidem & in medio posi-
,, tum, novum tamen scias nemi-
,, nem ante meruisse, quod non
,, erat

erat excogitandum, si quis me- ,,
ruisset. An satius fuit felicem vo- ,,
care? quod non moribus, sed ,,
fortunæ datum est. Satius mag- ,,
num? cui plus invidiæ, quam ,,
pulchritudinis inest. Adoptavit ,,
te optimus Princeps in suum, ,,
Senatus in optimi nomen. Hoc ,,
tibi tam proprium, quam pater- ,,
num, nec magis definite distin- ,,
cteque designat, qui Trajanum, ,,
quam qui optimum appellat, ut ,,
olim frugalitate Pisones, sapien- ,,
tia Lælij, pietate Metelli mon- ,,
strabantur, quæ simul omnia uno ,,
isto nomine continentur. Nec ,,
videri potest optimus, nisi qui ,,
est omnibus optimis in sua cujus- ,,
que laude præstantior. Merito ,,
tibi ergo post cæteras appellatio- ,,
nes hæc est addita, ut major. Mi- ,,
nus est enim Imperatorē, & Cæ- ,,
sarem, & Augustum, quam omni- ,,
bus Imperatoribus & Cæsaribus, ,,

,, & Auguftis effe meliorem. Ideo-
,, que ille parens hominum Deo-
,, rumque optimi prius, deinde ma-
,, ximi nomine colitur. quo præ-
,, clarior laus tua, quem non mi-
,, nus conftat optimum effe, quam
,, maximum. Affecutus es nomen,
,, quod in alium tranfire non pof-
,, fit, nifi ut appareat in bono Prin-
,, cipe alienum, in malo falfum.
,, quod licet omnes poftea ufur-
,, pent, femper tamen agnofcetur
,, ut tuum. Etenim ut nomine Au-
,, gufti admonemur ejus, cui pri-
,, mum dicatum eft, ita hæc opti-
,, mi appellatio nunquam memo-
,, riæ hominum fine te recurret,
,, quotiefque pofteri noftri opti-
,, mum aliquem vocare cogentur,
,, toties recordabuntur, quis merue-
,, rit vocari. Nec aliter Alexander.
Is cum à fato fuo abeffet propius,
quem tot regnorum hæredem ha-
bere vellet, rogatus, optimum no-
mina-

minavit. Sed deliquit quod quem è suis optimum crederet, non indicarit. Nemo hic aut inofficiosi querelam instituit, aut de testibus cæterisque solemnibus non adhibitis loquutus est. Verba testatoris & simul bona vexabantur. Libet hanc controversiam nunc meam facere, quia propius huc spectat, & tot ante me sæculis nata, usum tamen adhuc habet. Discant ex eâ principes non optimum modo, sed hunc, vel illum, qui talis, hæredem nuncupare. Fateor nemo jus interpretandi, nemo responsa dandi potestatem mihi unquam fecit. Nec tamen mihi hoc, vel aliis fraudi esse velim. Gratis disputo, & quia hic locus necessitatem imponit. Dixit Alexander:

OPTIMVS REGNORVM MEORVM HÆRES ESTO.

Nemo solemnia quæsivit, ut dixi,

& nemo jam quærat. quæ postea plura inventa, cum pluribus malis seculum laboraret. Sufficiebat dixisse, & voluisse. Nec tot impendiis tunc testamentorum tabulæ constabant. Quemadmodum Lucius Titius olim cœpit:

LVCIVS TITIVS HOC MEVM TESTAMENTVM SCRIPSI SINE VLLO IVRISPERITO, RATIONEM ANIMI MEI POTIVS SEQVVTVS, QVAM NIMIAM ET MISERAM DILIGENTIAM: ET SI MINVS ALIQVID LEGITIME MINVSVE PERITE FECERO, PRO IVRE LEGITIMO HABERI DEBET HOMINIS SANI VOLVNTAS.

Ita tantum loquutus est Alexander. Breviter quidem & bene, quod optimum dixerit, obscure, & male, quod quis suorum optimus esset aut non dixerit, aut ignoraverit. Proinde itum hic in partes. quippe de amplissimâ hereditate agebatur: non de parte dimidia, quarta, aut sextante. Cum unum regno Magnus destinaret, quivis se dominum putabat. Vnum dixerat & omnes de hæreditate disputabant: nec disputabant tantum, sed acriter certabant, per simultates, bella, sanguinem, cædes, ut se optimos non esse indicarent. Atqui Dij vestram fidem! quid apertius dixisse poterat Alexander? Non erant oracula impedita, qualia aut Sybilla, aut percussi vates solent recitare. Non quærebatur, ubi quis quadrupes primum, mox bipes, deinde tripes nasceretur: ubi cælum treis ulnas pateret: ubi flores nominibus re-

gum inſcriberentur: ubi Ælia Lælia Criſpis, quæ cum ubique eſſe dicatur, nuſquam invenitur. Fateor, nec Titium, nec Cajum, ſed optimum Alexander deſignabat. Sed tam ſterile virtutum ſæculum; ut optimum ignoraret. Vixerat tamen paulo ante Ariſtoteles, qui talem domi & in Repub. jam formarat. Optimus ſibi quiſque & proinde tot regnorum, tot gentium hæres videbatur. haud dubie peſſimus futurus, ſi peſſimum Alexander denotaſſet. Ita enim agitur cum animo humano, ut bona primum, ſi poſſit, aut ſpeciem boni, aut denique malas artes regnandi cauſſa oſtentet. Satis pleriſque eſt ad imperium pervenire, & quomodo perveniant, non curare. Quod hominum genus non aliter imperium tenet, quam accepit. Sed in hoc æſtu animorum optimus Perdiccas videbatur. Quippe jam moribun-

dus Alexander ſpe vitæ depoſita propius admiſſis amicis, detractum digito annulum Perdiccæ donavit. Quamobrem etſi non dictus hęres, indicio, tamen electus videbatur. quaſi vero aut annulus, aut diadema, aut ſceptrum, aut reliqua imperij inſignia regem & quidē optimum potuiſſent præſtare. Cum annulo igitur totius imperij hæreditas ad Perdiccam non venit, quia dignæ optimo principe virtutes ſimul non transfundebantur. Niſi peculiare aliquid habuerit, ut ille Gygis, qui oculos faſcinabat. Qui fundum mihi legavit, ſtatim agricolam non facit, ſic qui annulum donat principem non reddit. Liceat cum Stoicis paululum hic loqui, ad eximendam opinionem, quæ de Perdicca omnium animos inſedit. Quędam in poteſtate noſtra ſunt; quædam non item. hæc æterna, & animi, illa externa, non noſtra,

nostra, & fortunæ nominamus. Annulum Alexander donavit, quem manu sua tenebat, non regias virtutes, quas & ipse summas non habebat, & si habuisset non potuisset aut codicillis aut testamento Perdiccæ dare. Nisi simiam hominem dixeris, quia cultu humano incedit, aut stupratorem Ledæ Iovem neges, quia sub cygno latebat. Quemadmodum rex esse sine sceptro potest, ita rex statim non est, ne dicam optimus, qui illud accepit. Miseret me quidē Perdiccæ. Sententiam tamen dicam, non illam Romanam in rebus dubijs, NON LIQVERE, aut pro relligione veterum, ME ARBITRARI, sed semel, & certo: Perdiccas caussa cadit. Annulum non hæreditatem accepit. Annulum autem, sive quia Indiam debellaverat, sive ut corpus Alexandri Hammonem ferri, cœlestesquè ei ho-

ei honores habendos curaret. Falſus igitur Ariſtomenes, qui, ut harum rerum ſcriptor loquitur, advocata concione fatebarur quidem Alexandrum conſultum cui relinqueret regnum, optimum vocaviſſe: indicatum tamen ab ipſo optimum Perdiccam, cui annulum tradidiſſet. Neque enim ſolum eum adſediſſe omnium, ſed circumferentem oculos, ex turba amicorum delegiſſe, cui traderet. Placere igitur ſummam imperii ad Perdiccam deferri. Certe is mihi nec injuria, nec beneficio cognitus: ut nec gratiæ hic locus ſit, nec offenſioni. Si vultis, juratus dicam, & verbis S. P. Q. R. ſolemnibus. ÆQVVM EST, IVSTVM EST, IVRO ME NIHIL HIC CONTRA LEGES FECISSE, NIHIL OPERA MEA FACTVM, QVO CVIVSQVAM SALVS LÆDERETVR, NEQVE ME PRÆ-

praemivm avt honorem ex sententia in Perdiccam lata cepisse. Exſpectandum adhuc aliis, & hæres placebat, quem filium forſan Roxane eſſet editura, quæ ſextum jam menſem ex Alexandro uterum geſtabat. Poſtumis etiam caveri poſſe non abnuerim. Et licebat jure Romano. Vnde in eo conceptæ formulæ: Si filivs mevs me vivo morietvr nepos ex eo post mortem meam natvs hæres esto. Poſtumi etiam laborabant. Unde; Qvi mihi intra menses tres mortis meæ natvs erit exhæres esto. Sed injuriam prudentiſſimo principum faciunt, qui de nondum nato cogitaſſe eum volunt, cum optimum deſignaret. Præſentibus quippe inſtandum. Futura aut tempori aut fortu-

fortunæ, aut aliis relinquenda. Qui de illis cogitat, quæ nondum sunt, illa sæpe corrumpit, quæ jam fuere. Potuit fœminam dare, potuit abortire Roxane, & lucem puer non videre in ipso utero, & vitæ aditu exstinctus. Quæ autem dementia dubiis, incertis, & forsan non futuris spem imperij,& tot regnorum hæreditatem mandare? Quid si jam natus illis virtutibus fuerit destitutus, à quibus optimus princeps nominatur? An ideo melior, quia filius, nec filius tantum, sed etiam æmulator Alexandri? Nam ne Alexander quidem optimus, qui levitate, iracundia, ebrietate vitam & imperium deturpavit. At vero prodire in lucem adhuc debebat, quis Alexandri tantum virtutes de eo poterat sibi spondere? In dubio adhuc natura, in dubio virtus erat. Poterat autem ab utraque esse defectus. A natura, ne lu-

ne lucem, à virtute, ne imperium haberet. Nec Roxane designabatur. Fæmina enim, ut ut excelsi animi, capacem tantæ magnitudinis, & amplissimi principatus spiritum non habebat. Et quomodo optima fuerit, quam melior sexus defecit? Sed non ducum aliquem optimi nomine Alexandro venisse existimamus. Erant quidem illi, ut magnus scriptor loquitur, tantę virtutis, ac venerationis, ut singulos reges putares. Quippe ea formæ pulchritudo & proceritas corporis, & virium ac sapientiæ magnitudo in omnibus fuit, ut qui eos ignoraret non ex una gente, sed ex terrarũ orbe electos judicaret. Neque enim unquam antea Macedonia tam clarorum virorum proventu floruit. quos primum Philippus, mox Alexander tanta cura legerat, ut non tam ad societatem belli, quam in successionem regni electi viderentur.

tur. Non tamen optimi dicendi. Suis quisque malis laboravit, & invidendas virtutes nævis quibusdam infecit. Optimus autem est, cui ad istas nihil deest. Ita optimus quisque videri volebat, & ignorabatur; non aliam ob causam, quam quia non erat. Olim jam dictum & verum fuit, *Plures mali*. Et ut quanta malorum multitudo sit scire possitis, bonos, ut non dicam de optimis, numerate. Ignoscite libertati meæ, mortales. Asclepiodorus è Græcia olim in Syriam profectus, tres tantum viros bonos, apud Antiochenses Ilapium, Laodicenses Maretem, & Domninum, cognomento Aristidem, invenit. Sed in calculo errasse potuit Asclepiodorus, ac fere septem sunt, si Satyricum audimus.

Rari quippe boni numero vix sunt totidem quot

Thebæ

Thebarum portæ, vel divites ostia Nili.

Et nunc vero pauciores.

Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero.

A quo tot sæculis distamus. Quotiens de optimo quæsitum, quotiens non inventum? & ubi invenisse se putabant, quotiens erratum? Optimam quidem aquam esse Pindarus asseruit. Forsan quod ex eâ prodiisse omnia cum Homero, suo crederet. Vereor tamen admodum, ne hoc Bacchi sacerdotibus persuaserit. Et quî optima illa, quæ orbem terrarum non semel inundavit? Æsopus vir, ita me Dii ament, nulli veterum sapientia secundus, & qui in totam rerum naturam altissime penetravit, cum servire videretur, nec serviret, rogatus quod optimum simul & pessimum esset, de linguis respondit. Optimum tamen non dixit, quia pessi-

pessimum pariter erat; quod ipse non ignorabat. Et optimum & maximum Iovem vocant. Sed an optimus ille, cujus flagitia utrasque Poetarum paginas implevere? Profecto si ille hominum & Deorum parens optimus dicendus non est, quia non fuit, quid de nobis futurum, qui extra cœlum habitamus? Aristomenes Milesius Græcorum optimus ab Apolline judicatus fuit. Sed quo minus talem fuisse credatis, consulite annales. P. Cornelius Scipio Nasica optimus dictus, non omnium tamen, sed Romanorum. Sic ut bonus tantum fuerit, qui inter pessimos præstabat. Trajano optimi cognomen delatum est. Verum & poculis indulgebat, & flagitio,

cujus vix audeo dicere nomen.


Historiam modo imperij ejus consulite, & invenietis. Ita plures non ex merito, sed adulatione tanquam opti-

optimi laudati. Ita optimi dicti, qui pessimi erant meliores, non qui præ cæteris bonis magnitudine virtutis excellebant. Tantum est optimum & esse, & audire. Non cum malis optimus comparandus est, sed bonis. Qui enim talis meliorem non habet. Et si habeat, optimus non est. Quanto plus meliori datur, tantum ab optimi laude discedit. Imo non optimus est, sed etiamnum malus. Dum non deest tantum, quod optimum facit, sed simul adest, quod in malo est, & abesse debebat. Optimum esse amplius est, quam aut mens nostra, aut sermo hic capit. Et optimus inter homines nunquam fuit, ac definire non possumus, quia optimi non sumus. Bene tamen Alexander, qui non tam optimum, qui non est, quam qui ab eo esset propius, tot regnorum voluit adire hæreditatem. Imprudens,

dens,quod talem è ſuis non nominaverit, niſi miſerior forſan, quod non invenerit. Et ſic quidem nobis videtur. Caveant principes, & ſequantur. Caveant ne incertum, ſequantur ut optimum, prout fieri poteſt, hæredem faciant. Sic vivent adhuc, poſtquam obiere; & regno præerunt, poſtquam illud reliquere.

XI.

Rectà.



Rectà.

Recta.

AD magna & excelsa adspirare quivis potest; non nisi rectæ mentes pertingunt. Recta autem mens est, quæ solius virtutis merito provecta altius, solam illam ubique ostendit. Plerique malis tantum, quidam malis bonisque artibus mixti, alii, sed pauci admodum, rectâ viâ ad honores grassantur. Illi & se, & quibus præficiuntur, stolide subvertunt. Tales enim in publico sunt, quales privati esse debebant, priusquam se commendarent. Hi tanto pejores, quanto majorem speciem obtendunt. Tertij illi satis se probant: & tanto magis probandi, quanto pauciores: dum veritas atque amor languent, nec excitantur: fides & justitia precariam in illis animam trahunt, in quibus vigere debebant.

XII.

Inter utrumque.



Inter

Inter utrumque.

QVi equum regit, una manu frontem tangit, ne severitate nimia resultet, altera virgam, qua pertinaciam ejus expugnat. Ita subditi habendi; ut simul principes suos & amare possint, & revereri. Amare ob lenitatem, revereri ob severitatem. quod fiet si aut hæc illam, aut illa hanc non corrumpat; si lenitas majestatem, severitas quod ęquum est non excedat. Sic ut hæc duo principem constituant, amor subditorum & metus. Ille à bonis, hic à malis, ille per benevolentiam, hic pænas provocandus. Quanto magis ab his metuitur, tanto magis ab illis amatur. Quin vero ab ijsdem & amari potest, & timeri. Timet quisque ne eum offendat, & quem suum, & cujus se amorem vult obtinere.

XIII.

Cede meliori.



Cede

Cede meliori.

VT ſub majoris umbra enata & tenella adhuc arbor ſe deflectit, ita Principes uſurpandi. qui ſuos infra id etiam eſſe volunt, quod ſunt,&habent. Nam magnitudini ſuæ deberi putant ſua quemque vel ignorare, vel non profiteri. Non facienda hic omnia, quę potes, & celanda, quæ jam feciſti. Tuum eſt hic debere, etiam cùm ſolviſti. Dives eſt, qui principi ſuo debet: inops vero & miſer, qui ſatisfeciſſe videri vult, & ſatisfecit. Majorem principem cogita, quam eſt, & te ipſo te minorem. Fortunam ejus, & tuam cogita. Illa tibi tanta ſit, ut nec obſtringi queat, nec expleri. Tua autem talis ut reſpondere non poſſit, & ſi poſſit, atque reſponderit, non reſpondiſſe videatur.

XIII.

Cede meliori.



Cede

Cede meliori.

VT ſub majoris umbra enata & tenella adhuc arbor ſe deflectit, ita Principes uſurpandi. qui ſuos infra id etiam eſſe volunt, quod ſunt,&habent. Nam magnitudini ſuæ deberi putant ſua quemque vel ignorare, vel non profiteri. Non facienda hic omnia,quę potes, & celanda, quæ jam feciſti. Tuum eſt hic debere; etiam cùm ſolviſti. Dives eſt,qui principi ſuo debet: inops vero & miſer,qui ſatisfeciſſe videri vult, & ſatisfecit. Majorem principem cogita, quam eſt, & te ipſo te minorem. Fortunam ejus, & tuam cogita. Illa tibi tanta ſit, ut nec obſtringi queat, nec expleri. Tua autem talis ut reſpondere non poſſit, & ſi poſſit, atque reſponderit, non reſpondiſſe videatur.

XIV

Festina lente.



Festi-

Festina lente.

QVi pullos nido exturbare vult usque dum volucres sunt non moratur; nec tamen ita festinat, ut eripiat, cum à matribus adhuc foveri debent & educari. Sic tarditatem atque celeritatem indicamus. Vtramque in bello quærimus, sed nobis, loco, hosti, tempori parem. Qui nimium hic festinat incitato gradu ad exitium contendit: qui diutius moratur aut commodum suum, aut salutem intermittit. In celeritate temeritatem, in mora consilij inopiam detestamur. Nec hic, nec ibi in rem nostram bene consulere possumus. Hic quia quo diutius hæremus, eo & pejora subinde amplectimur & bene ante cogitata damnamus, & hosti tempus pariter atque occasionem præstamus. Ibi quia quod præ-

cipiti animo parum bene consultum est, malam fortunam in eventu experitur. In utroque temperamentum & prudentiam sequamur. Tēperamentum, ne in uno peccemus dum alterum declinamus; prudentiam, ut quid eorum facto opus sit, videamus. Fabius cunctatoris nomen accepit & laudatus est. quippe cunctatione sua Rempublicam servabat, cui jam Hannibal imminebat. Semel dicam lente festinandum est. Nemo me contraria simul loqui existimet. Qui moratur, cum res poscit, jam festinat, qui festinat cum oportet, satis diu moratus est. Qui moratur, ubi festinandum erat, currentem fortunam tarditate sua sistit. Qui festinat, ubi morandum est, in malo suo commoratur.

Alterum etiam hinc discimus: suffocanda initia seditionum; quæ ubi adultæ, & provectæ altius vix

possunt

possunt cohiberi. Primo materies exstirpanda, quæ nisi sublata reprimuntur quidem ad tempus mala, sed non penitus tolluntur. Renascitur enim subinde, quod caussam adhuc habet. Vt in agris infelix lolium, quamvis decussum jam, postea adhuc prodit, quia radix non excisa. Secundo vires & animi eorum distrahendi, qui promovere seditionem & poterant, & volebant. Distractæ vires, quæ animo, non loco; distracti animi, qui loco, non fide conjunguntur. Locus facit ut non audeant hic & illic, quod hic compositi omnes auderent. Animus facit, ut alter alteri non credat, nec proinde etiam sibi; quia solus exsequi non potest, & cum alio non vult. Tertio è medio tollendi, qui auctores sunt, aut si commode tolli non possint, unice laborandum, ne cæteri auctores sequantur. Non sequentur, si suspectos reddamus.

XV.

Respice finem.



Respice finem.

NON peccabo, si Reipub. administrationem cum Labyrintho contendam. Hic ambages multæ, & impeditæ, illa ardua, varia, & infinitis casibus se exponit. Ex hoc & illa pauci evadunt, quia rectam rationem ignorant. Multi in ipso initio impingunt, aut si hic bene rem gesserint, in cæteris destituuntur. Non aliam ob caussam, quam quod tale non fuerit, quod bene cœptum existimabant. Bene cœpit, bene progressus est, qui ad finem adtendit. Duplex autem ille, & quem relinquimus, & ad quem adspiramus. Ex illo hic dependet. In illo cogitanda, quæ fuere, in hoc, quæ jam sunt, ut eum, qui nondum est, obtinere possimus.

XVI.

Alter & idem.



Alter


Alter & idem.

QVemadmodum ſigillum ceræ impreſſum eandem ipſi vim præſtat, quam habet: ita majeſtatem in fortunæ ſuæ adminiſtros Princeps tranſmittit. Cum enim unius hic ſit omnibus præeſſe, unus tamen omnia, præſens ipſe, non poſſit moderari, in partem curarum vocandi, per quos ibi ſit, ubi non eſt, loquatur ubi tacet, &, ut ſimul dicam, cum imperio agat, ubi oportet, & non videtur. Tantum eſt in majeſtate. Datur illa alii, & in poteſtate ejus manet, qui dedit. Idem tamen eſt hac parte, qui accipit cum illo, à quo accepit. Princeps ſe in alium, alius ſe in principem tranſfundit. dum ille per hunc, hic pro illo agit: ille commodata, hic acceptâ majeſtate.

Hoc age.

XVII.

Hoc age.



Hoc age.

QVi colore aliquo imbuere pannum vult, non intingit leviter, ſed totum infigit. Sequi exemplum eos maxime velim, qui in Repub. verſantur. Agendum id quod agitur, &, niſi ſerio, non cœpiſſe prȩſtabat. Agit autem ille, quod agitur, qui nec in illo, nec in ſe quidquam intermittit. In illo, quidquid ad bonum, in ſe, quidquid ad diligentiam facit. Hæc vana, niſi in illo laboret, illud non eſt, niſi hæc accedat. Nihil agit, qui friget: male, qui non ita, ut oportet. In utroque ſedulitatem, in hoc etiam prudentiam deſideramus. Bene conſulendum, priuſquām adoriamur, cum vero cœptum eſt, ſerio inſtandum: Eum, qui bene conſuluit, nunquam finis, qui ſerio inſtitit, nunquam cœpti pænitebit.

XVIII.

Sine cade & sanguine pauci.



Sine

Sine cæde & sanguine pauci.

PErsuasum vulgo est hircorum sanguine adamantes confringi, & quamquam negent alii, nos tamen credere hic volumus, & simul principes docere. Quemadmodum Æsopus brutorum Rempub: fingit, quæ nunquam fuit, ut quid privatim, quid publice agendum mortalibus instillaret. Exemplum sequimur, & ex re incerta, quod certum est, probamus. Tyranni imago est, quam hic exhibemus, qui subvertit omnia, cum aut pater esse deberet, aut custos, sicut Plato loquebatur. Quare ut boni principes à suis amantur, ita mali timentur. Illi ob modestiam: hi ob crudelitatem: illi quia amant, hi quia non possunt non timere. Vnde peior horum conditio est, quam subditorum. Illi enim omnes, hi unum

timent,

timent, & quot cives, tot hostes habent, non aliam ob caussam, quam quod suis ipsi tales fuere. Miserrime vivunt, miserrime moriuntur: dum omnium vitæ insidiati, dum plures morti addixere. Qui aliorum sanguine se explere non potuit, suo satiatur. Legite exsecrationes Romanorum, qui libertatem maxime coluerunt, cum aut ab ipsis tradita, aut ab aliis esset occupata. PARRICIDÆ CADAVER VNCO TRAHATVR. TYRANNI CADAVER IN SPOLIARIO PONATVR. QVI OMNES OCCIDIT, VNCO TRAHATVR. QVI OMNEM ÆTATEM OCCIDIT, VNCO TRAHATVR. QVI VTRVMQVE SEXVM OCCIDIT, VNCO TRAHATVR. QVI SANGVINI SVO NON PEPERCIT, VNCO TRAHATVR. QVI TEMPLA SPOLIAVIT, VNCO TRAHATVR. QVI TESTAMENTA DELEVIT, VNCO TRAHATVR. QVI VIVOS SPOLIAVIT, VNCO TRAHATVR. QVI PRETIA VITÆ ACCEPIT, VNCO TRAHATVR. QVI PRETIA VITÆ EXEGIT, ET FIDEM NON SERVAVIT, VNCO TRAHATVR. QVI SENATVM VENDIDIT, VNCO TRAHATVR. INNOCENTES SEPVLTI NON SVNT, PARRICIDÆ CADAVER TRAHATVR. PARRICIDA SEPVLTOS ERVIT, PARRICIDÆ CADAVER TRAHATVR. SICVT FECIT, SIC PATIATVR.

Ita

Ita ut ſcenam tyranni agunt, ſic abſolvunt. Par metus illi qui infert, & cui infertur. Sed ille metuitur, quam diu poteſt, hic metuit, quamdiu vult. Et ut non diu velit, non odio tantum, ſed legibus & præmiis provocatur. Audite quid indictum olim fuerit Athenis;

QVI TYRANNVM OCCIDERIT, OLYMPIONICARVM PRÆMIVM ACCIPITO, ET QVAM REM SIBI VOLET A MAGISTRATV DEPOSCITO, ET MAGISTRATVS EI CONCEDITO.

TYRANNO OCCISO QVINQVE EIVS PROXIMOS COGNATIONE MAGISTRATVS NECATO.

Nam nemo non poteſt non odiſſe illum à quo odio habetur; non exitium ei inferre, à quo intẽtatur; non exſpectare, quod meretur. Quanto minus bonum principem extollunt ſubditi; quia talis modo eſt, qualis eſſe debebat; tanto magis tyrannum exſecrantur, dum, quo ibi minus laudis, hic plus culpæ, quia non eſt, qualem eſſe oportebat. Ita mali dominantur, quia vi cogunt; omni-

omnibus exoſi, & quia exoſi, nunquam ſecuri. Vbique & ſemper exſpectant, quod vel ſemel tantum commiſere. Satellites juxta ſe habent, ſed illos ipſos timent; in abdita ſecedunt, ſed ſibi ſoli non videntur. Et quaſi alii deſint, ſe ipſos perſequuntur. Fruſtra Dionyſius tyrannus cubiculum foſſa cinxit: metum circumgeſtabat. Fruſtra in lectum ponte ſe recepit: ſe ipſum non excluſit, & non admiſſis alijs, admiſiſſe tamen ſe credebat. Fruſtra, quod funeſtum caput tonſori committere non auderet, candente carbone capillos aduſſit: tandem obtruncatus eſt. Cum omnes metuiſſet, ab uno ſublatus eſt. Sic ut gravior adhuc vita, quam mors fuerit. Proinde miſer ſibi tyrannus eſt, dum aliis eſſe vult. Sibi & dum vivit, nunquam ſecurus, & dum moritur, non quia deficit natura, ſed odio habetur.

Fron-

XIX.

Fronti nulla fides.



Fronti

Fronti nulla fides.

SCenam hic pingo, in qua personam quisque & accipit, & deponit, atque alius est, quam videtur. Sic ut proprium hic sit fallere, ut verissime dixit Plato. Nec aliter se habent Rerumpub. arcana, quæ artes potius, & umbras rerum, & simulachra Tacitus nominavit. In quibus aliud est, quam videtur, imo hoc ipsum non est, quod plerique credunt. Et fingitur quod non est, ut sit, quod esse debebat. Quippe ita cum populo est comparatum, ut speciosis nominibus inescatus falso credat, quod non crederet, si verum audiret. Sic à nutricibus suis infantes, à medicis ægri falluntur. Et qui sic agit, peccare non dicitur, quia peccare necesse est, ut idem Plato existimabat. Non ibo extra Rempub. Romanorum. Numa cum

cum Egeria concubuit, quam nunquam vidit, & ab eâ leges accepit, quas ipſe excogitaverat. Vt quod Regis non potuiſſet, numinis auctoritas perſuaderet. Nec aliter conſulti totiens libri Sybillarum, & ex eorum præſcripto tam multa imperata: qui forſan nunquam exſtitere. Nemo hæc altius Tiberio penetravit. Is veterem Rempub. ubique præ ſe tulit, cum eam deleret: nomen tribunitiæ poteſtatis obtendit, cum inſtar principis omnia occuparet. Vt ſcena igitur, ita Reſpublica. Et in hac, & in illa non ita ſe omnia habent, ut prætenduntur. Nam ſi quæ ſunt viderentur, non eſſent, quæ ſunt. Iam ſunt, quia alia, quam ſunt, videntur.

EMBLEMATVM

FINIS.

MARCI ZUERII

BOXHORNII

ORATIONES

aliquot.

Habitæ in Academia

LEIDENSI.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ORATIO I.

DE

POLYMATHIA

SEU

Disciplinis veterum.



LIENUM vobis videri non debet, Auditores, si augusta majestas hujus loci, & frequentissimus hic clarissimorum & amplissimorum hominum consessus, atque etiam ætatis & ingenij mei infantia metum dicenti incussere. Solent pictores in editiore loco collocare tabellam, in qua ad artis normam effigies delineata non est, ut intervalli longioris intercapedine operis mendosi fu-

cus adumbretur. Longe aliud mihi, hanc cathedram ascendenti, contigisse video. In ore atque oculis omnium dicendum est. Freti tamen benivolentia vestra, id, quod metuimus, etiam audemus. Nemini injuriam facimus, si omnibus Disciplinas veterum præferamus. Nonnulli eas, ut ineptas culpare ausi sunt. Functi illi partibus suis: ego etiam pro virili meas opponam. Vetus & summum sapientiæ scitum est, NIHIL IGNORARE. Homines enim, ut ratione à pecudibus, ita ab hominibus cultu ingeniorum distinguuntur. Nemo proinde illum scientiarum orbem intra angustos nimis fines concludat. Eo se, quo Natura rerum, extendit. Divinarum & humanarum rerum cognitionem recte ipsi adsignamus. Corpusculum hoc videte; homines sumus: Animum videte; hæres quidam est & tradux Divinitatis. Quæ cœlo, terra,

terra, aqua, & toto hoc Vniverſo continentur, in ſe complectitur. Quæ jam ab ipſo Orbe condito aut inventa, aut geſta ſunt, præſcribit. Hæc ipſa, quam naſcentes tangimus, tellus, hic aër, quem primo reſpiramus, hæc aſtra, quæ videmus, hic ſermo, qui linguam primus reſignat, totidem ſapientiæ partes fecere. Quorum omnium cognitionem aut à veteribus traditam accepimus, aut illi ipſi poſterorum ingeniis excutiendam reliquere. Quæ, ſi ex uſu humani generis, & fieri poſſit, indaganda. Cætera, quæ ſupra vitam & ingenium noſtrum ſunt, tuto omittenda. Stultum eſt iis inquirendis inſudare, quæ nunquam ſumus inventuri. Fruſtra in iis laboramus, quæ non capimus. Quæ quotiens petimus, vota nobis denegamus. Satis ibi ſcire eſt, quod neſcimus: in cæteris didiciſſe, quæ ignoramus. Loqui & Agere primum eſt. Hoc

omnium animantium, illud ſolius hominis eſt: utrumque cum rerum exordio cœpit. Sic Grammaticam ſimul & Hiſtoriam accepiſtis. Fruſtra nos verbis fatigamus. Ignoſcant mihi Reipublicæ Litterariæ magnates. Grammaticam dixi; & eo nomine omnia audiviſtis. Aliam enim Technicam, aliam Criticam, aliam Hiſtoricam veteres illi Sapientiæ Magiſtri tradidere. Pudet me hujus ſæculi. Earum artium, quarum ſcientiam nobis adrogamus, nomina neſcimus. Technica & Critica verborum eſt. Illa nexus eorum, hæc elegantiam docet. Quidquid in litteris eruditum eſt, locum hic habet. Hiſtoria autem rerum eſt: quæ per ætates ſuas, velut quoſdam gradus, devoluta, quot deinceps ſæcula, tot incrementa, quot orbis, tot partes accepit. Quam nec intra anguſtos adeo fines antiqui concluſere, ut res geſtas tantum enar-

enarrandas ipsi adsignarent, nec tam late nos diffundimus, ut nullis certis terminis descriptam existimemus. Frustra viam sternimus, quæ metam non habet. Natura, utut latissime se expandat, infinita tamen non est: parem autem Historia cum Natura finem accepit. Quæcunque de terrarum, maris, & fluminum situ, hominum aliorumque animantium, arborum & lapidum naturis externarum gentium formis, ac denique illâ omnium rerum varietate veterum scripta extant, [illegible], ad hanc classem revocamus. Gesta priorum temporum fere ignorantur, deficientibus ingeniis, quæ eorum gloriam ab ætatis injuriâ vendicarent. Quæ ante Deucalionem, & Trojam captam facta sunt, nescimus: & tamen eodem anno, quo Deucalion vixit, & Troja capta est, nati sumus. Fidem mihi non habebitis, Auditores; sed falsi estis Ma-

thematicorum præceptis, qui unins astri, quod Solem appellant, reditu, annum circumscribi docuere. Verus enim ille, quem & Magnum, & Vertentem, & Mundanum appellant, quindecim ejusmodi annorum millia complectitur. Hector & Vlysses, quos vos veteres & antiquos fingitis, non solum eodem anno, quo nos, sed fere mense exstitere. Imperia tamen & bella eorum longe supra memoriam nostram sunt, Naturæ iniquitate, quæ, tamquam noverca, omnem vitam nostram ne intra decem quidem ejus anni horas arctavit. Non tam quid olim fuerit, quam quid non fuerit, ex iis, quæ insequutis temporibus facta sunt, scimus. Si Troja à Dardano condita est, certum est, ante Deucalionem non fuisse. Si Aristoteles cum magno illo Alexandro vixit, profecto Achillem non educavit. Progressa mox longius terrarum ætas, cum

cum novis & vegetis mortalium ingeniis, novas etiam artes ſubſtituit, & jam inventas exornavit. Vt animæ naſcentibus, ita ſingulis peculiares quidam & fatales genij dividuntur. Eadem ſpectamus aſtra, & idem omnes Orbis involvit, quam impari tamen gradu ad Sapientiam graſſamur? Quibus clariſſima omnium ſæculorum ingenia vel indagandis, vel explicandis diu nequidquam incubuere, ſæpe aliquis è mediâ Romuli fæce abſolvit. Vnde factum, ut eodem omnia momento aut cogitata, aut inventa non ſint. Multorum ſæculorum res fuit. Non niſi longo temporis & ingeniorum tractu ad arcana ſcientiarum perventum eſt. Sic Philoſophia nata; & illa, quæ Naturæ interpretationem ac remotarum ab oculis rerum inveſtigationem, & illa, quæ rectam domeſticarum & publicarum rerum adminiſtrationem ſibi vendicavit.

Fronti nulla fides.

SCenam hic pingo, in qua personam quisque & accipit, & deponit, atque alius est, quam videtur. Sic ut proprium hic sit fallere, ut verissime dixit Plato. Nec aliter se habent Rerumpub. arcana, quæ artes potius, & umbras rerum, & simulachra Tacitus nominavit. In quibus aliud est, quam videtur, imo hoc ipsum non est, quod plerique credunt. Et fingitur quod non est, ut sit, quod esse debebat. Quippe ita cum populo est comparatum, ut speciosis nominibus inescatus falso credat, quod non crederet, si verum audiret. Sic à nutricibus suis infantes, à medicis ægri falluntur. Et qui sic agit, peccare non dicitur, quia peccare necesse est, ut idem Plato existimabat. Non ibo extra Rempub. Romanorum. Numa

cum

cum Egeria concubuit, quam nunquam vidit, & ab eâ leges accepit, quas ipſe excogitaverat. Vt quod Regis non potuiſſet, numinis auctoritas perſuaderet. Nec aliter conſulti totiens libri Sybillarum, & ex eorum præſcripto tam multa imperata: qui forſan nunquam exſtitere. Nemo hæc altius Tiberio penetravit. Is veterem Rempub. ubique præ ſe tulit, cum eam deleret: nomen tribunitiæ poteſtatis obtendit, cum inſtar principis omnia occuparet. Vt ſcena igitur, ita Reſpublica. Et in hac, & in illa non ita ſe omnia habent, ut prætenduntur. Nam ſi quæ ſunt viderentur, non eſſent, quæ ſunt. Iam ſunt, quia alia, quam ſunt, videntur.

EMBLEMATVM

FINIS.

MARCI ZUERII
BOXHORNII

ORATIONES

aliquot.

Habitæ in Academia
LEIDENSI.

ORATIO I.

DE

POLYMATHIA

SEU

Disciplinis veterum.



LIENUM vobis videri non debet, Auditores, si augusta majestas hujus loci, & frequentissimus hic clarissimorum & amplissimorum hominum consessus, atque etiam ætatis & ingenij mei infantia metum dicenti incussere. Solent pictores in editiore loco collocare tabellam, in qua ad artis normam effigies delineata non est, ut intervalli longioris intercapedine operis mendosi fu-

cus adumbretur. Longe aliud mihi, hanc cathedram ascendenti, contigisse video. In ore atque oculis omnium dícendum est. Freti tamen benivolentia vestra, id, quod metuimus, etiam audemus. Nemini injuriam facimus, si omnibus Disciplinas veterum præferamus. Nonnulli eas, ut ineptas culpare ausi sunt. Functi illi partibus suis: ego etiam pro virili meas opponam. Vetus & summum sapientiæ scitum est, NIHIL IGNORARE. Homines enim, ut ratione à pecudibus, ita ab hominibus cultu ingeniorum distinguuntur. Nemo proinde illum scientiarum orbem intra angustos nimis fines concludat. Eo se, quo Natura rerum, extendit. Divinarum & humanarum rerum cognitionem recte ipsi adsignamus. Corpusculum hoc videte; homines sumus: Animum videte; hæres quidam est & tradux Divinitatis. Quæ cœlo, terra,

terra, aqua, & toto hoc Vniverſo continentur, in ſe complectitur. Quæ jam ab ipſo Orbe condito aut inventa, aut geſta ſunt, præſcribit. Hæc ipſa, quam naſcentes tangimus, tellus, hic aër, quem primo reſpiramus, hæc aſtra, quæ videmus, hic ſermo, qui linguam primus reſignat, totidem ſapientiæ partes fecere. Quorum omnium cognitionem aut à veteribus traditam accepimus, aut illi ipſi poſterorum ingeniis excutiendam reliquere. Quæ, ſi ex uſu humani generis, & fieri poſſit, indaganda. Cætera, quæ ſupra vitam & ingenium noſtrum ſunt, tuto omittenda. Stultum eſt iis inquirendis inſudare, quæ nunquam ſumus inventuri. Fruſtra in iis laboramus, quæ non capimus. Quæ quotiens petimus, vota nobis denegamus. Satis ibi ſcire eſt, quod neſcimus: in cæteris didiciſſe, quæ ignoramus. Loqui & Agere primum eſt. Hoc

omnium animantium, illud solius hominis est: utrumque cum rerum exordio cœpit. Sic Grammaticam simul & Historiam accepistis. Frustra nos verbis fatigamus. Ignoscant mihi Reipublicæ Litterariæ magnates. Grammaticam dixi; & eo nomine omnia audivistis. Aliam enim Technicam, aliam Criticam, aliam Historicam veteres illi Sapientiæ Magistri tradidere. Pudet me hujus sæculi. Earum artium, quarum scientiam nobis adrogamus, nomina nescimus. Technica & Critica verborum est. Illa nexus eorum, hæc elegantiam docet. Quidquid in litteris eruditum est, locum hic habet. Historia autem rerum est: quæ per ætates suas, velut quosdam gradus, devoluta, quot deinceps sæcula, tot incrementa, quot orbis, tot partes accepit. Quam nec intra angustos adeo fines antiqui conclusere, ut res gestas tantum enar-

enarrandas ipsi adsignarent, nec tam late nos diffundimus, ut nullis certis terminis descriptam existimemus. Frustra viam sternimus, quæ metam non habet. Natura, utut latissime se expandat, infinita tamen non est: parem autem Historia cum Natura finem accepit. Quæcunque de terrarum, maris, & fluminum situ, hominum aliorumque animantium, arborum & lapidum naturis externarum gentium formis, ac denique illâ omnium rerum varietate veterum scripta extant, [illegible], ad hanc classem revocamus. Gesta priorum temporum fere ignorantur, deficientibus ingeniis, quæ eorum gloriam ab ætatis injuria vendicarent. Quæ ante Deucalionem, & Trojam captam facta sunt, nescimus: & tamen eodem anno, quo Deucalion vixit, & Troja capta est, nati sumus. Fidem mihi non habebitis, Auditores; sed falsi estis Ma-

 thema-

thematicorum præceptis, qui unins astri, quod Solem appellant, reditu, annum circumscribi docuere. Verus enim ille, quem & Magnum, & Vertentem, & Mundanum appellant, quindecim ejusmodi annorum millia complectitur. Hector & Vlysses, quos vos veteres & antiquos fingitis, non solum eodem anno, quo nos, sed fere mense exstitere. Imperia tamen & bella eorum longe supra memoriam nostram sunt, Naturæ iniquitate, quæ, tamquam noverca, omnem vitam nostram ne intra decem quidem ejus anni horas arctavit. Non tam quid olim fuerit, quam quid non fuerit, ex iis, quæ insequutis temporibus facta sunt, scimus. Si Troja à Dardano condita est, certum est, ante Deucalionem non fuisse. Si Aristoteles cum magno illo Alexandro vixit, profecto Achillem non educavit. Progressa mox longius terrarum ætas, cum

cum novis & vegetis mortalium ingeniis, novas etiam artes substituit, & jam inventas exornavit. Vt animæ nascentibus, ita singulis peculiares quidam & fatales genij dividuntur. Eadem spectamus astra, & idem omnes Orbis involvit, quam impari tamen gradu ad Sapientiam grassamur? Quibus clarissima omnium sæculorum ingenia vel indagandis, vel explicandis diu nequidquam incubuere, sæpe aliquis è mediâ Romuli fæce absolvit. Vnde factum, ut eodem omnia momento aut cogitata, aut inventa non sint. Multorum sæculorum res fuit. Non nisi longo temporis & ingeniorum tractu ad arcana scientiarum perventum est. Sic Philosophia nata; & illa, quæ Naturæ interpretationem ac remotarum ab oculis rerum investigationem, & illa, quæ rectam domesticarum & publicarum rerum administrationem sibi vendicavit.

Idem illud tempus flagitat, ut ad Grammaticam & litteras nostras redeamus. Sermo primum est. Hunc cultus ejus, quem Eloquentiam vocant, excepit. Hanc aut artis tantum præceptis, aut etiam numeris adstrinxere. Sic Oratores & Poëtas accepistis. Primum illorum institutum fuit, ex præscripto rationis commovere, horum etiam lenociniis numerorum delectare, omnium autem ea, quæ facta vellent, persuadere. Alterum ad necessitatem, alterum etiam ad voluptatem fuit. In omnibus rei publicæ & privatę agendæ præcepta, & simul heroicarum omnium virtutum exempla. Ad Oratoriam enim & Poësin nemo, nisi artium omnium & scientiarum præsidio probe instructus, accedebat. Poetæ certe divinarum & humanarum rerum erant consulti. Sacra, sed fabulis involuta, non alij olim profitebantur. Quot eorum verba;

tot

tot oracula. Ab his genus & consilia Deorum, ævi omnis abstrusam vetustatem, magnorum Heroum facta, & ab his exempla, atque adeo sacram omnem & profanam eruditionem petebant. Nulla enim scientiarum pars est, quam Poetæ non sunt complexi, & in eorum libris hodieque non habemus. Soli illi famam atque nomen Sapientiæ sustinebant. Hæc illa artium Cyclopædia est, quam tantopere, & adfectabant Veteres, & habebant. Hæc illa litterarum Respublica est, in qua non septem tantum, sed ævi omnis Sapientum consessus leges & metam Sapientiæ nobis præscribit; non per plebiscita, aut Senatus consulta, aut Principum Placita, aut Prætorum edicta, sed divina illa tot præstantium ingeniorum monumenta, quæ jam ab infinitis supra memoriam nostram sæculis inscripta albo Æternitatis incorrupta ad nos perve-

nere. Ad ſeveriores diſciplinas ſine hoc comitatu fruſtra contendimus. Vnam illarum artium ſi prætermittimus, nihil eſt, quod cæteras omnes ſcimus. Orbis non eſt, niſi omnibus partibus circumſcriptus: ſic nec ille ſcientiarum, niſi omnes complexus. Nihil perfectum eſt, in quo vel aliquid deſideramus. Totum nihil aliud eſt, quam omnium partium compages. Totum non eſt, ſi earum minimâ deſtitutum. Fruſtra miramur aurum in comas Galateæ, violas in palpebras Veneris, ignem in pupillas Palladis, argentum in pedes Thetidis, oſtrum in genas Virginis, roſas in digitos Auroræ, ab emotis animo Poëtis tranſlatas, niſi in unaquaque earum ſit. quod in ſingulis prædicamus. Videte hanc artium & diſciplinarum omnium Pandoram. Quam conſummata & perfecta eſt, illa, licet ſæculorum vetus, integri tamen adhuc ævi Matrona? Omnibus

bus ſimulachris emendatior. Comarum ſtructura eſt, qualem Aſpaſiæ modeſtia; frons, qualem Liviæ prudentia, ſupercilia, qualia Sulpitiæ majeſtas; oculi, quales Corneliæ patientia; genæ, quales Lucretiæ verecundia; cervix, qualem Porciæ conſtantia; amictus, qualem Plotinæ frugalitas ſua concinnavit. In ſummas anguſtias redactum me, Auditores, ſentio. Cogor hic ſub ipſo onere paulliſper conſidere. Vos tantum animo addite, quantum voce non effamur. Quidquid cogitaveritis, ſupra majeſtatem ejus non erit. Si modo divinam illam & auguſtam ſpeciem mortalibus oculis inferret, quantum, putatis, amorem & venerationem ſui apud generoſas mentes excitaret? Quanta omnium in ſe vota traheret, quæ delectaret exſolviſſe. Muſæ omnes virgines ſunt; & tamen velut quodam matrimonij nexu inter ſe conjunctæ;

quas qui disjungunt, næ illis stuprum intulere. Digni certè in quos ex Lege Iulia severissime animadvertatur. Nemo autem de temporis angustia, quasi tam multis addiscendis non suppeteret, querelam hic instituat. Singulis, fateor, horarum momentis alligamur. Tempori tamen, si diligentiam nostram præcedat, servimus; si sequitur, imperamus. Nemo scientiarum diversitatem objiciat. Neque enim iis accedendum puto, qui per singula disciplinarum genera simul vagantur. Omnia dum scire se putant, singula ignorant. Disciplinarum aliæ primæ sunt, aliæ secundæ. Per illas, tanquam per gradus ad has pervenitur. Sine hoc ductu frustra ad metam imus. Et dum recta ad Sapientiam tendere nos putamus, per longinqua atque avia palamur. Magnum studiorum compendium est, eorum rationem non ignorare. Sic veteres animum Sapien-

pientia induere. Sic ad gloriam grassabantur. In Sapientiæ studiis nihil agere, & nihil esse, perinde judicabant. Hoc comitatu instructi foro & Reipublicæ tuto se committebant. Hac parma præcincti adversus omnem Fortunæ vultum stabant immoti: ac difficillimis temporibus, pace belloque, constantiæ erant adversus vim omnem invictæ. Quamvis ad tot miseriarum scopulos allisi, nunquam tamen fatiscebant. Imo vero incendia temporum igne animorum exstinguebant. Ex publicarum rerum naufragio, in hunc Sapientię portum se receptabant. Hunc fructum cultoribus suis Musæ præstant, tanquam acceperint, quæ dederunt. Sic pauperem Curium, sed divitibus imperantem, sic severos Catones, gentem Fabiam, fulmina Scipionum, & totum illum Triumphalem Senatum accepistis. Scipio certe ut loquitur disertissimus Romano-

manorum, tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinæ & auctor & admirator fuit. ut Polybium Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque, secum haberet. Nemo melius intervalla negotiorum otio dispunxit. Semper aut pacis, aut belli serviit artibus, semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercebat. Agricolam fori studia & civilium artium decus in id fastigium extulere. Sed ab hoc instituto nos magnis passibus descivimus. Longe post primum est, quidquid est secundum. Olim non tantum quæ scribebant, legebantur, sed quæ agebant. Præclarum autem doctrinæ genus est, cum vitam moresque in exemplum posteris damus. Nos flore scientiarum contenti sumus. Fructum nemo habet. Larva inutilium studiorum decepti, splendorem in umbra, quærimus, herbam in saxo

&, ut vivamus, vitæ duntaxat instrumentis occupamur. Quid litteræ, si tantum litteræ sunt? Quid procera & frondosa arbor, si infæcunda? Quidquid solam habet voluptatem aut inutile est, aut damnosum. Imo ne florem quidem scientiarum habemus. In cæno & fæce divinum hunc spiritum volutamus. Ad tumores vanos, & argutiolas ineptas delapsi sumus: quæ maxima orationis vitia omnibus insequentis sæculi auctoribus, & nobis quoque, fato quodam eloquentiæ & Imperij Romani simul ruentium, adhæsere. In umbra tantum priscæ illius Poësios vivimus, torpore non solum difficiles, sed languidi & insuaves. Omnis conatus noster insidias quasdam auribus facit, animum non capit. Scilicet in divinam hanc partem nostri vis quædam divina valet, quæ in nostrâ se Poësi hactenus quærit, non invenit; in veteri fuit, & excelluit. In

hac rerum universitate nihil fixum est, & eodem motu etiam artes inquietantur. Vt syderum, ita disciplinarum quædam vices. Et nascuntur, & florent, & senescunt, ac tandem occidunt. Disciplinæ omnes tot præstantium ingeniorum cultu in Græcia molliter educatæ, in Italia robur ac lacertos accepere. Virilis earum ætas sub Augusto usq; ad Trajanum fuit. Post quem infelicitate temporum consenuere. Donec ad insaniam delapsæ, aliquamdiu in ea constitére, ut anus solent, quæ quo ætate provehuntur altius, eo largius delirant. Sed ut læta abeunt, ita mœsta non semper sunt. Ille genuinus litterarum splendor uno alterove ante nos natos sæculo denuo emersit, cum ignorantiæ satias majores nostros cepit. Quemadmodum autem non nisi sensim ab origine descitum, sic non nisi per gradus ad hanc, quam nunc habemus, majestatem per-

perventum est. Ut magna difficile resurgunt, cum semel de fastigio decidere. Omnis nationis, ordinis, ætatis homines omnem ingeniorum vim ad instaurandum conservandumque publicum egregium litterarum contulere. Sic densissima illa caligo, quæ omnes disciplinas insederat, politioris litteraturę sole discussa est. Quid diutius in hac luce cæcutimus? Quid ignorantiæ diutius incubamus, non nisi torpentem atque informem animum exclusuri? Sed aliter plerisque quidam Sapientiæ sicarii persuasere. Alios litteras ignorare volunt, ne ipsi, ad servandam Sapientiæ famam, ea cogerentur addiscere, quæ cum magno studiorum fructu, & gloria alii didicere. Grave litterarum nomen inter otiosos, qui, misso illis repudio, sua admirantur, & se sibi ipsis tantum componunt. Eruditionem simul jactantes, quam proscribunt; iisdem vitiis contacti quæ pa-

parant ulcisci. Famam, quam per ingenium consequi non possunt, labe litterarum sollicitant. Hæ causæ illis animis calumniandi fecere audaciam. Sed frustra in iis exagitandis nos fatigamus. Gloriam litterarum deprimimus, cum earum hostes debellamus, ut qui lutum calcant, ab eodem inquinantur. Suo ipsi periculo insaniant. Litteræ sibi ipsis præsidio, supra fortunam eorum & latratus positæ sunt. Minas eorum securæ despiciunt, stultitiam immotæ contemplantur. Calumniæ sunt, quæ neque tegunt, neque vulnerant. Styli adhuc ferrum nobis est, & in hoc omnia. Ganniant alij, quantum volent, nunquam Hercle efficient, ut liberum nobis non sit, non efferre, quod non probamus, non laudare, quod non sentimus. Si aliud nihil, certe hos titulos, has de sæculo manubias, hæc spolia, has exuvias reportamus. Surgite tantum Reip. Litte-

terarię Magnates, & auſa terrarum tempeſtivis conſilijs impedite. Surgite in ultionem eorum, qui litterarum innocentiam proſcribunt, qui glorię veſtrę ac famę aſſultant. Commune periculum propulſate. Ad eam neceſſitatem deventum eſt, aut ultionem à vobis, aut excidium ab illis exſpectamus. Alterutrum enim facto eſt opus: aut Barbarorum ſervitutem ſemper perferre, aut ſtatim ulciſci. Proinde majores veſtros, & poſteros cogitate. Glorię temporum inſiſtite. Peſtes illas & maculas Sapientię exſcindite. Videtis fugientes Muſas; eas obtorto collo à fuga retrahite. Sunt qui litteris nefas indixere; earum ruinam fulcite. Magna ſunt inſcitię delinimenta, & eo magis metuenda. Videtis quam prope ab exitio ſimus, niſi acciditis in tempore malum, cunctatione prope adultum. Rectà ad Barbariem imus. Quare obſtandum principiis, ne hęc diuturnitate

nitate valentior, omnem ingeniorum cultum reformidet. Quoties autem Æternam Ædem hanc intueor, magnus mihi animus est, Auditores, futurum ut in hac temporum & ingeniorum calamitate, Musę, passim expulsę, & velut exsilio mulctatę, majestatem suam & decus semper hic tueantur. Fuit illa, ut sapientię omnis, ita illustrium animarum semper capacissima. Habet adhuc, quos iniquitati temporum opponat: Vivunt etiam nunc, qui olim nomen habebunt. Et tu, inprimis, invicte litterarum Stator, HEINSI, in cujus virtutum & ingenij ęstimatione jampridem judicia totius orbis decertant. Tu documento omnibus futurus, quos sibi Batavia, ille terrarum propemodum ac naturę finis, viros adhuc seposuit, qui calamitatem temporum in suam & litterarum gloriam convertunt. Vos autem, commilitones, aut, si vultis, fratres, aut si quid carius

his

his dici poteſt, hȩreditatem à majoribus veſtris ante mille ſȩcula vobis relictam adite. Vacua omnibus poſſeſſio eſt. Bonum publicum eſt. Poſthumi eſtis. Quidquid in Poëtis lepidum, in Oratoribus grave, in Annalibus fidele, in Grammaticis eruditum, in Philoſophis cultum, veſtrum eſt. Veſtrum tantum facite. Omnes ex aſſe hȩredes eſtis. Nemo inofficioſi querelam inſtituet. Si magnitudinem hæreditatis formidatis, ſenſim adite. Quamlibet enim parum ſit, quod accedit: ſi perpetuo, ſi continenter accedat, grande eſt. Lacum quamvis minimi fontes efficiunt, quia perpetui; quamvis effuſiſſimi imbres non efficiunt, quia interrupti. Sequimini modo. Habebitis ſi non ingenij aut Doctrinȩ, certè diligentiȩ exemplum. Par mihi adhuc vobiſcum diſcendi conditio eſt. Tantum eſt, quod neſcimus: Singula temporis momenta litterario
hoc

hoc otio dispungam. Quidquid severimus, messis vestra erit. Ecce vobis hanc dextram, tantum daturi sumus, quantum possidemus.

ORATIO II.

DE Eversionibus Rerumpub. & earum caussis.

Habita cum Troadem Senecæ interpretaretur.



TA agitur cum rebus humanis, Auditores, ut occulto quodam naturę suoq; instinctu mutentur. Orbis fabula est, in qua personam & accipit homo, & deponit; donec veram absolvat. Non enim satis est periisse, quæ fuerunt, abeunt etiam illa, quæ nunc sunt, & non tam esse videntur, quam mutari. Ita exemplum posteris damus, quod majores nostri nobis reliquere, & nihil omnino in nobis, aut nostris est, quod tanquam fixum aut constans ostentare possi-

mus. Attollite, attollite, mecum oculos & rerum humanarum vices videte. Parvum est, syderum cursus mutari, & , ut astronomi jam dicunt, terram moveri, mare æstu agitari, invictas moles ruina consumi, regna etiam & imperia per clades, bella, flagitia ad metam feruntur. Videte tot busta florentissimarum regionum, quæ, præter nomen suum & ruinam, nihil ad posteros transmisere. Deos videte, qui regno expulsi. Cum vix homines essent, Saturnus à filio exactus est. Sed nec tranquilla Saturni regna fuere: Vnumquodque sæculum suam sibi ruinam involvit. Auri splendorem argentum excepit, & ferrum ex ære conflatum est. Falsi estis, auditores, si ferreo adhuc sæculo vivere vos putatis. Dudum illud ærugo absumpsit. Pejus aliquid ferro habemus. Quantum ab auro ferrum, tantum à fer-

ro nos distamus. Dicam quod res est. Ferrum perfregimus, & in luto habitamus. Atque hæc facta cum aut homines Dii essent, aut inter homines Dii versarentur: in primo rerum exordio, cum adhuc virtute sua cuncta constarent. Nos postremi hominum & in hoc mundi senio nati, rerum humanarum excidia miramur, quorum exemplum Dii præbuere? Ruunt apud nos omnia, priusquam stetere. Nihil hic constantius levitate. Nihil est, quod fuimus. Nihil quod sumus. Nihil quod adhuc futurum. Nam hoc quod sumus aliquando dicendum est fuisse. Hominem & humana eadem pereundi necessitas constringit. Quidquid agimus, mortalitate damnatum est, & ne flocci quidem facienda, quæ tantopere æstimamus. Inter peritura vivimus, & petimus, quæ peritura. Nihil tam excelsum est, quod

ſupra ruinam conſiſtit. Quid agitis miſeri mortales, & in eo ſpem ponitis, quod ipſam ſubvertit, quod quia in manu veſtra haud eſt, tenere non poteſtis? Sane neſcitis ſummum in felicitate eſſe, fragilitatem ejus non ignorare. Quo ad culmen adſcenditis altius, eo à caſu propius abeſtis. In ſumma ſanitate eſſe periculoſum apud medicos habetur. Nam cui ad ſanitatem amplius accedere non poteſt, proximè morbum exſpectat. Qui altius evehi non poteſt, jam cadit. De regibus loquor, qui ſolio expulſi, de regnis, quæ periere. Quo majora, eo graviorem caſum jam ruentia fecerunt. Quot orbis regna, tot exempla. Regnum non fuit, quod non collapſum eſt. Taceo de Platonis Repub. quæ non cecidit, quia non ſtetit. Quas enim Socrates leges dixit, nemo accepit. Cuſtodes electi, cum non haberent,

berent, quod custodirent. De agello cavit, cum terram non haberet, de aquæductu, cum imbres deessent. Pœnas in facinorosos statuit, quas nunquam exegit. Præmia autem bonis, cum ne boni quidem essent. Bellum indixit, cum hostem non haberet. De pace egit, cum alium non læsisset. Perire non potest, quod nunquam fuit. Quod autem fuisse dicitur, & non periit, ne quidem fuit. Perituram tamen Rempublicam suam, si stetisset, ne quidem ipse Plato ignoravit. Metam enim ipsi constituit, & periodos annorum. Naturales quippe conversiones Rerumpub. sive ab optimatibus, sive à populo, sive à singulis teneantur. Corrige per leges quod voles, nunquam herclè efficies, ut in tempore non fuerit, quod fuit. Cum tempus autem motus sit, quæ in eo sunt moventur. Horæ ad solis rationem ex Mathema-

thematicorum præceptis æstimantur. Ex horis dies, ex diebus hebdomades, ex his menses, ex mensibus annos, ex annis lustra, ex lustris sæcula, ex sæculis senectam, ex senecta, eversiones Rerumpublicarum numeramus. Sic tempus se & alios versat. Sibi ipsi, & nobis mors est. Præcedit euntem, sequitur sequentem. Quidquid natum est, sibi substernit. Vt ut cadant imperia, in nos imperium non amittit. Princeps est, aut tyrannus. Princeps dum Reges, magnates, & populos tuetur, tyrannus dum eosdem subvertit. Pereunt regna, cum diu stetere, imo ut pereant, diu consistunt. At vero quantillum illud tempus est? Pereunt fere regna, cum annis quingentis stetere. In Asiatico imperio, satis constat illud penes Assyrios quingentis & viginti annis fuisse, post quod tempus Medi occuparunt.

runt. Athenarum etiam imperium usq; ad Codrum annis durasse quadringentis & nonaginta, & post illa in Democratiam mutatum scimus. Totidem annis floruit Spartana Respub. à Lycurgo usque ad Alexandri Magni ætatem, sub quo collapsa est. Sæculis circiter quinque ab expulsis regibus ad Augustum Rempub. Romanam Consules rexere. Totidem annis, post debellatum ab Augusto Antonium, cæso Romæ Valentiniano imperium Occidentis subversum est; Vandalis, Alanis, Suevis, Gothis, Dacis, Herulis, Rigiis, Gepidis, atque Hunnis in arma effusis. Tot gentes ad unius imperii excidium conjuravere. Quæ primo Galliam, deinde Hispaniam, tandem & Africam, & in ipsa Italia æternam urbem invasere. Quid annos quingentos loquor? Persicum Imperium, quod à Cyro usque ad Da-

rium ultimum, annos ducentos & triginta floruit, tandem Alexandro Magno succumbere necesse habuit. Græcorum etiam res annos tantum ducentos & quinquaginta stetere, post varios bellorum casus ad Macedoniæ, Syriæ, Ponti, & Ægypti Reges devolutæ. Romanorum prima mutatio, qua regia potestas & nomen exacta, in annum ab Vrbe condita ducentesimum quadragesimum & quartum devenit. Nemo quæ hic à me dicta exigat ad tot anxias rationes Chronologorum. Quibus in præterlapso dudum tempore id quod jam est consumitur, & in anno uno, aut consule hærendum est. Nobis in præsens non vacat vel ex fastis, vel ecclypsibus secula supputare. In eversionibus imperiorum laboramus. Satis nobis & ægre est hoc loco non periisse tantum regna, sed & cito. Ad cladem, ejusdem celeritas

ritas accedit. Vt plurimum ducentis, si diutissime, annis quingentis consistunt. Grande mortalis ævi spatium, si cum unius hominis ætate componatur; parvum tamen, si Platonem audimus, & vix momentum magni illius anni, qui quindecim ejusmodi annorum millia complectitur. Contra calamitatem hanc remedium non habetur, cum tot ejus caussæ existant. Quot hominum ingenia, tot pene species Rerumpub. Vt ut autem constitues peribunt. Si regnum sit, unus, si paucorum imperium, plures, si populi, multi ad excidium concurrent. Vnus enim ad tyrannidem, pauci ad discordiam, multi ad seditiones delabuntur. Tyrannide subditorum animi ad vindictam incitantur, discordia rerum præclare gerendarum occasiones corrumpuntur, seditionibus fit, ut imperium non sit, quod esse debebat.

Tyrannus non jubet ut paretur, concitatus autem populus non paret, ut jubetur. Regnum si vi cepisti, vi dilabetur. Pænam exspectet, qui inflixit. Quod vi captum est & tenetur, domino suo constare non potest. Imo ne dominum quidem habet. Ejus est, qui vi precedit, aut quem fortuna suum facit. Imperium si à majoribus accepisti, ut majores, sic imperium abibit. Succedet alius, ut putas, qui post te clavum moderabitur, forsan succedet aliquis, aut jam succedit, qui te subvertet. Qui per adoptionem adscitus est, cogitet restare alium, qui aut à se aut ab aliis adoptabitur. Vir regnas, forsan à fæmina expellere, fæmina autem per virum peribis. Semyramis Ægyptiorũ regulos, Zenobia Probum regno exegit. Fæminæ imperium viri contemnunt, quia virilem illa animum non habet; Puerum Im-

rum Imperatorem ſenes propter levitatem, ſenem juvenes propter ſeveritatem indignantur. Sic ætas & ſexus ſubinde evertunt. Sic Reipub. violentas illi manus inferunt, quorum quam maxime intereſt Rempublicam ſtare. Reges Romanos ſeptem videte. Tam varii ingenio fuere, ut ruina Imperii poſtulabat. Nam & ardens Romulus & relligioſus Numa, & bellator Tullus, & ædificator Ancus, & jactator Tarquinius, & cenſor Servius, & ſuperbus Tarquinius fecere, ut agitatus injuriis populus, exactis regibus, cupiditate libertatis incenderetur. Taceo cætera flagitia. Dicam, quibus forſan fidem non habebitis. Sapientia aliquando Reſpublicas corrumpi. Equidem cum Ariſtotele ſemper exiſtimavi magna ingenia ad moderandas res admoveri non debere. Si quid enim peccatum ſit immutant,

& dum immutant omnia pessumdant. Quantumvis autem levis mutatio, periculosa est in Republica. Apud Thraces & Albanos per insaniam diu res floruere, qui solem disci magnitudine esse judicabant, qui lunam capiti inpendentem timebant ne caderet, qui cælum scalis adiri posse putabant. Quippe oculos, non rationem aut naturam, sequebantur. Nihil Reipub. Romanæ socors ille Claudius offecit, qui cum Messalinam conjugem per spiculatorem trucidari curasset, re confecta & eodem die ipsi nuntiata, post unam aut alteram horam quærebat, quid dominæ factum esset, quo minus ad cænam veniret. Nihil Reipub. Caligula offecit, qui ad eam vecordiam devenit, ut palam cum Iovis statua Homericis versibus loqueretur, ac plenam & fulgentem lunam in amplexus invitaret. Fateor tamen stupidi illi

& fa-

& fatui Cæsarum paullulum Reipub. nocuere, sed profecto non nocuissent, si in fatuos incidissent. At, pro dolor; cum sapientibus illis res fuit, & inde tot clades consequutæ. Augusti vero atque Tiberii ingenia quantum ad subvertendam Rempub. contulere? quorum ille industria sua imperium invasit, hic per occultas artes patrum animos fascinavit. Quare assensum præbere Platoni non possum, qui illas demum beatas Respub. judicavit, in quibus aut regerent Philosophi, aut qui regunt Philosopharentur. Mihi felices illæ videntur, in quibus aut regunt fatui, aut reguntur. Mitto jam publicæ calamitatis caussam, vulgi levitatem. Non est enim animal quod morosius rectorem fert, quam quod cętera domat. Mitto nimiam magnitudinem, quæ florentes respublicas sæpe exscindit. Periculosum

est gra-

est, grave imperium. Difficile est continere, quod moderari non possis. Vnde Plato ut in cæteris rebus, ita in regnis mediocritatem probabat. Hoc multarum nobis urbium fortuna ostendit, quæque in ipso flore præclara imperia cecidere. Cælitum etiam iræ, nulla mortalium culpa, evertendis imperiis gravia tamen & sæva damna intulerunt. Nam & à terrâ motus & ab igne incendia, & ab aquis diluvia, & ab aëre corruptiones exspectantur. Terra diductâ duodecim celebres Asiæ urbes collapsæ. Asperrima in Sardianos aëris lues, & quæ plurimum in eos misericordiæ traxit. Apud Iuhones ignes terra editi villas, arva, vicos corripuere. Neque exstingui poterant, non si imbres caderent, non si fluvialibus aquis, aut alio humore niterentur. Aquam sub Deucalione totum hunc orbem una ruina involvis-

volvisse, quamvis longe ante Trojana tempora, adhuc meminisse potestis. Plures etiam Respub. ab animalibus vexatæ. Opidum à cuniculis in Hispania suffosum, à talpis in Thessalia, à ranis pulsa civitas Galliarum, & in Africa à locustis. Gyari incolas sedibus suis mures exturbarunt. Sæpe luxuriæ, & amori magna imperia succubuere. Ex eo quod adolescentes duo in re amatoria decertarent, penitus conversa Syracusanorum Respub. Et ex re uxoria eadem Dyrrachium clades involvit. Ad Trojam festinat animus, quæ fasces ad raptum fœminæ, & pergama sua submisit! Ecce inconstantiam rerum humanarum, & ob levissimam causam florentissimum orbis regnum eversum. quæ in divina Annæi Troade velut è specula videmus. Quot ibi verba, tot lachrymarum, & instabilis in servandis im-

dis imperiis fortunæ argumenta. Solvunt ibi capillos ſuos Troades, & dum veſtes reſcindunt, remedium dolori quærunt. Cineribus decoros vultus, ſed decennii calamitate jam maceratos involvunt. Stant nudati exhauſti artus. Fruſtra enim pectora captivus pudor velabat. Vident nivoſam Iden rogis Trojanorum nudatam. Vident incenſam urbem, cum jam tot ſæcula ſtetiſſet. Vident diu quæſitas opes jam Græcorum eſſe. Vident jacentem Hectora, moram fatorum, quo ſtante cadere Troja non poterat. Ita fatalis illa neceſſitas, quotiens regna evertit, quidquid adverſum ſibi eſt proſternit. Hector, cui vitam Troja debebat, eandem Achilli refudit. Vident Priamum jacentem, qui hoc uno felix fuit, quod omnia ſecum conſumpta viderit. Cum enim mactaretur, cauſſam, cur viveret, non habebat.

Inter

Inter medios ignes rogo carebat. Captum regnum. Elati filii, in spem ejus educati. Hecuba adhuc precariam inter infensos animam trahebat, sed ut postmodum latraret. Factum hoc, cum patrum cineres filiorum sanguinem haurirent; cum his, qui superstites erant, vita, & illis, qui ceciderant, sepulchra negarentur. Cum obsessos cladibus Trojanos non servitutis, sed domini puderet. Habent exemplum Principes, quod sequantur. Vident hic fragilitatem imperii & rerum humanarum. quæ & nascuntur indies, & crescunt, & florent, & decrescunt iterum, & mutantur, & cadunt. Nascuntur ex aliis, quæ, quia priora, perierunt, crescunt & florent, ut sit fastigium de quo cadant; decrescunt quia jam floruere, mutantur, ut cadant; & cadunt, ut alia nascantur. Vt enim hoc sit, illud

esse non debet. Quod simul & finem sibi, & initium alij ponit. Quemadmodum forma ovi tollitur, ut pullus excludatur, & vitalis spiritus corpori exemptus constituit cadaver. Sic ex ruinis Trojanis res Græcorum floruere. Sic regibus reges dantur, & eijcitur regno Priamus, ut alius succedat, & succedit alius, ut exemplo suo paullo post ostendat idem sibi, quod Priamo deberi. Reges aliquando regibus dantur. Vt reverenter magna fortuna habenda sit, tanquam elapsura. Nemo hac se attollat, ne demittere se cogatur. Vbi jam imperat ita se gerat, tanquam brevi serviturus. Vbi jam servit, ita speret, tanquam brevi imperaturus. Nulla enim fortuna hic stabilis, aut æterna, & ut bona semper esse non possunt, ita etiam mala subvertuntur. Prudens ille & felix, qui ad utrumque se bene

bene componit. Bene autem componit, qui ubi jam ſtat ſecum cadit, ubi cecidit ſeipſum attollit.

ORATIO III.

DE

Constitutione Tragædiarum, & sapientia civili, atque eloquentia ex earum lectione haurienda.

Habita cum in Troadis interpretatione progrederetur.



Votiens tot vitæ, & studiorum præsidia mecum agito, Auditores, nihil ex ijs se commendat amplius, quam sapientia, & facundia, magnæ & invidendæ dotes. In illa divinarum humanarumque rerum cognitio, &, quod potissimum est, contemptus ineptiarum. Legata ejus facundia est, sed erecta illa, quæ jam majestatem & robur accepit. Vtramque in Poesi vete-

veterum habemus, & sapientissimi quique in ea coluere. Vnde Musarum disciplinam Plato appellabat, in qua in ordinem animus cogebatur. Quæ virtutem, quæ rectam rationem, quæ animi purgationem, moresque compositos ex sapientiæ præscripto inducit. Poesis ista variis olim sub formis latebat, quibus sine ullâ difficultate animos sibi commissos & trahebat simul, & docebat. Cum alii mysteria, alii occulta sacra disciplinam suam appellarent; alii fabularum, alij Musices, alii postremo divinitatis nomen & opinionem ei indidere. Quippe cum Philosophia, splendore suo exuta, tanquam scortum contemni cœpit, tunc demum cœpta est Poesis æstimari. Et ex quo natæ in Thracia Ciliciaque ineptiæ Græciam invasere, Epicuri Atomi, ignis Heracliti, Thaletis aqua, Anaximenis

nis ſpiritus, diſcordiæ Empedoclis, Diogenis dolium, omnia non ſapientiæ, ſed verborum plena eſſe cœperunt. Diviſa etiam in partes Philoſophia habebatur. Ad Muſicam Pythagoras, ad Aſtronomiam Thales, in ſolitudinem Heraclitus, ad amores Socrates, ad caſtitatem Carneades, ad laborem Diogenes, ad voluptates Epicurus ſuos provocabant. Tunc Homerus Philoſophus habebatur. Ad ipſum tanquam ad ſapientiæ omnis ſacrarium accedebant. Illius alumnus & æmulator erat Plato. Vt dubium non ſit Homero quam ſimillimum Platonem eſſe. Quippe uterque divinus fuit. Sic quidquid in Platone & qui diſciplinam ejus excepere, admirantur, id totum ab Homero emanavit, ut ex Oceano Mæotis, ex Mæotide Pontus, ex Ponto Helleſpontus, ex Helleſponto mare. quæ ſenten-

tia & verba sunt Maximi Platonicorum. Nam res omnes humanas Homerus inspexit; ne quis cæcum fuisse credat antiquis. Nec tamen oculorum ista, sed animi judicio explorabat. Et, quod mirabimini in somnio de rebus maximis, de excidio Trojæ, de Vlysse suo cogitabat. Vbique circumferebatur. Corpus eundem locum servabat, animus totam terram ambibat. E terra in cælum ferebatur. Vbi cum Sole & luna suo more loquebatur, cum cæteris astris consistebat, & propemodum cum Iove universa moderabatur. Ibi propius mortales inspexit, & illa sapientiæ arcana, Tragædiam & Satyram invenit. Tragædias enim jam agebant homines, cum adhuc nomen ignorarent. Satyram merebantur, cum nemo eam appellaret. Petebant quippe bona, sed non intelligebant. Et talia ipsis visa acceptaque

quæ non erant. Sic bonis utebantur, ut mox carerent, sic malis, ut multo miseriores redderentur. Sordebat virtus, vel quod nimis diu exculta, vel quod prima specie austera videretur, vel quod libido animi & voluptas magis placeret. quam novam semper excogitabant, priorem contemnebant, & dum læta sectabantur, in calamitates incidebant. Turpia vituperabant, nec tamen fugiebant, felicitatem mirabantur, non virtutes. Bella aversabantur, pacem autem insolenter habebant. Deos invocabant, tanquam donare possent, negligebant, tanquam qui pænas non irrogarent. Timebant eos ut qui peiuria acerrime vindicarent, peierabant autem quasi aut Dij non essent, aut res humanas non curarent. Inde nata tot scelera, tot mala, Satyrarum & Tragædiarum argumēta. Fallitur qui inPoetarum

modo ſcriptis hæc quærit & invenit. In omni ætate, omni vita habemus. Nemo eſt, qui materiam illis non dedit: reges, populus, ſapientes, pueri, juvenes, viri, ſenes, fæminæ in Græcia, in Italia, in Thracia, ubique terrarum. Nec mirari debetis, Auditores, in hoc numero ſapientes cenſeri. Illi enim calamitate etiam agitantur. Calamitates autem Tragædiam conſtituere. Aliter tamen hic ſapiens, aliter populus ſe gerit. Populum voco, qui impetum ſequitur, non rationem, umbram virtutis, non ipſam, & voluptatem putat, atque dolorem, in quo non habet. Ferunt Socratem nunquam ingemuiſſe, non quod calamitatem non haberet, ſed quod contemneret. Quippe illa ſapientem premit, non proſternit. Qua alacritate vinum Alcibiades, eâdem venenum Socrates bibit. Et tamen

dum bibit, Tragædiam egit. In qua pulcherrimum spectaculum edebatur, dignum in quod oculos omnes convertant. Sapiens cum dolore congreditur; adversum minas, & supplicia, & tormenta componitur. cum strepitum mortis, & horrorem carnificis irridens exsultat: cum libertatem suam adversus reges & principes exponit: cum soli Deo suo cedit: cum triumphator & victor, ipsum, qui adversum se sententiam dixit, ludificatur. Vicit enim, qui quod contendit obtinuit. Dicam breviter; ex flagitiis mortalium odium Fortuna concepit, ex odio ejus natæ calamitates, ex calamitatibus neces, carceres, exilia, eversiones. Sic & Satyram, & Tragædiam, & Comædiam accepistis. Nam caussæ calamitatum scelera fere mortalium sunt, quæ cum nostri amore occæcati vix dignoscere

ſcere aut videre poſſimus, ſcelera tamen eſſe ex eventu Dij oſtendunt. à quibus mala non merentibus imponi, nefas eſt cogitare. Ea autem Satyra ſibi perſtringenda vendicavit. in qua aut riſus, aut indignatio dominantur. Calamitates ſunt & publicæ, & privatæ, & leves, & horrendæ. Quæ & Tragædiam & Comædiam abſolvunt. Inter utramque vero tantum intereſt, quantum inter Socratem & Epicurum. In Comædia pejuria lenonum, amantium furor, artes ſervorum, petulantia meretricum, aſſentatio paraſitorum, indulgentia aut ſeveritas parentum, commeſſationes adoleſcentum, domeſticæ ſeditiones poſtremo denique ea omnia, quæ in vita humana privato cuique uſu veniunt. Tragædia autem longe alia dicenda monendaque ſuſcepit, maſcula illa, plena horroris; magni ſpi-

ritus, & majestatis. Quæ tanquam regina & domina rerum humanarum, privata illa, & tantum domi nata, tanquam infra se contemnit, ac cothurno suo innixa atroces illos regum, & principum casus invadit, ut eorum cogitatione accensus erectus animus, ex alterius fortuna disceret, quomodo utrique aptare se debeat. Vnde Tragædiam, quasi animi quandam purgationem, eleganter, ut omnia, Plato nominavit. Quemadmodum enim, ut morbum tollant, corpus pravis humoribus oppletum potione aliqua purgare solent filij medicorum, ita etiam illa exemplis aliorum, affectus, præsertim regum & principum, domat, aut inducit, quibus vel mala depelli possint, vel bona provocari. Adversus crudelitatem, superbiam, ambitionem, cæterasque illas pestes Rerumpub. sola hæc remedium invenit. Nemo

enim

enim facilius illas cavet, quam qui natas ex ijs calamitates in alijs detestatur. Stupra & raptus fæminarum non potest non odisse, qui ruinam imperij Trojani, qui expulsum Tarquinium, totumque nomen Regium apud Romanos sublatum deberi istis jam accepit. Iudex, quoties pænam imponit, non tam illos cogitat, quos punit, quam exemplum. quod ubi oculis primum, mox animis insedit, ab ejusmodi flagitijs avocat eos, & ad magna præclaraque intendit. Nec aliter supremus ille omnium arbiter & moderator, in illa cura rerum humanarum, mala sæpe imponit, & quia merentur illi, quos tangit, & ut caveant cæteri, ne paria in se convertant. Sic ut pænæ in paucos, exempla in omnes deriventur. In illis aliorum mala, extra periculum ipsi, non tamen extra metum, contemplamur; in his non

alia de cauſa, quam quia metuimus, auſpicium felicitatis. Igitur quod in ſchola Socrates, aut Senon, id in ſcena ille, qui Tragædiam proponit. Niſi quod hic amplius agat, quia cum exemplo loquitur, & prius ipſum, quam verba, oſtendit. Nihil autem æque urget, pungit, impellit. Nemo dubitare poteſt, quia videt exemplum; ex quo prius præcepta præoccupat animus, quā audit, & cum jam audit, tantum confirmatur. Qui, quo tandem loco, qua fortuna ſit, & remedium hic & ſolatium capit. Vtrumque ex aliorum malis. Solatur ſe, quia paria non accepit, & affectibus medetur, qui alios & à virtute, &, quæ ex ea naſcitur, felicitate tranſverſos egere. Triplicem animi ſtatum, pro fortunæ diverſitate, & Platonici tradidere, & nos quotidie in nobis alijſque experimur. Aut in ſumma,

aut mediocri felicitate, aut despe-
cti ærumnis in extrema calamitate
versamur. Quemadmodum non
tantum inter alios, sed & nosmet
ipsos discrimen sæpe fortuna inter-
ponit. Vbi dulcedine felicitatis
adeo inescatus est noster animus,
ut ad eam nihil desideret amplius,
sui oblitus, attollit sese altius
& quia fortunam suam non capit,
ignarus eam corrumpit sensim, &
mox subvertit. Et sua æstimat, quæ
non habet, & ignorat, quod jam
fortuna intendit, quæ in horas
mutatur. Cui ad summam felici-
tatem deest aliquid, quod aliorum
comparatione discit, dubius est,
& constare sibi non potest. Nam
majora aut bona, aut mala exspe-
ctat. Assurgere nequit, quia alios
adhuc se majores videt, premere
se non potest, quia plures etiam-
num minores se novit. Cum in
extremis ærumnis miseri, defor-

mati, abjecti agimus, magnitudine malorum oppressus animus, seipsum contemnit plerumque & exstinguit. Ita ægre devorare possumus, quod frequentissimum in vita humana. Tunc extra spem & metum positi, dum bona non capimus, & ita occupati malis sumus, ut graviora non possint imponi, nos, alios, cælum ipsum, atque Deos, tanquam leves & iniquos, fortunam tanquam cæcam accusamus. Qui hic componere sese, atque tumidos illos animi affectus dicam an fluctus constituit sedare, vel audiat Tragædiam vel legat. Sic in aliis seipsum& videre poterit, & solari. Præsertim qui publico se jam aut impendit, aut parat. Non hic calamitates modo, magnæ illæ & atroces, sed caussæ etiam exhibentur. Quot verba, tot præcepta & exempla: quibus instructus animus utriusque fortu-

næ

næ capax, & utraque major reipub. tuto se committit. Hic Seneca tanquam arbiter dominatur. qui Tragædiæ leges implevit, aut nemo. Extra Troadem non ibo. de qua alias dicentem me audistis. Nemo hic fidem meam, sed se sequatur. Pro me sententiam feret, quisquis majestatem, &, quod in ea potissimum est, sapientiam capit. Credite, auditores, in una hac Tragædia doceri, quod in tam vasta librorum mole, quibus imperiorum arcana, & instituta promittuntur, aut frigide dictum est, aut desideratur. Quidquid hic auditis, quidquid legitis, pungit, accendit, inflammat. Troia cecidit, opus immortalium Deorum. Priamus jugulum gladio succidendum præbuit, quod cani asperserant, quod præ senectâ jam nutabat. Sanguinem suum percussori dedit, quem reliquum adhuc exsangue fere &

maceratum corpus habebat. Vitam ferro finijt, quam totiens ferro servarat. Gladium excepit, cum suum vibrare, cecidit, cum stare vix posset. Amputatum caput, quod paullo ante plenum majestatis diadema gestabat. Postremo denique diu vixit, ut sic moreretur. Multis malis fortuna exemit, ut majoribus & potissimum huic servaret. Hecuba atque Andromacha regno, maritis, liberis, propinquis exutæ, inter infestissimos hostes, servæ, captivæ, precarium spiritum trahunt. Vnum hic discite, magnæ fortunæ fragilitatem, & vices rerum humanarum. Quæ nihil esse patiuntur, quod est, quæ majores omnibus & pares, reges ipsos, & regna invadunt. Nihil ignorat, qui pauca hæc capit. Nihil fortunæ, sed omnia & bona & mala sibi debet. Seipsum extra se non quærit, & dum se invenit, quid-

quidquid extra se contemnit. Invenit autem sese, qui eâ ubique lege se componit, qua vitam & fortunam accepit; qui etiam cum mutantur omnia, sibi constat, & quod suum est sibi servat, major omnibus, & par sibi. Hoc est fortunam nec magni facere, nec deplorare; quæcunque eveniunt ita amplecti, ut necessaria, & quæ non possunt evitari; confligere cum casibus, & triumfare. Hoc Hecuba, hoc Andromacha, hoc Troades docebunt. Et quæ non etiam præcepta ex Agamennone, Pyrrho, Vlysse, cæterisq; in hac scena haurimus? Vt debeant præmia & pœnæ merentibus imponi, arcana sileri, victi clementer haberi, magna potestas usurpari, legationes institui & geri, motus sedari, postremo denique ea omnia, quæ civilem prudentiam & artes imperatorias absolvunt, singulis pene ver-

bis hic inculcatur. Quæ majestati rerum adæquata non minus attollunt animum nostrum, quam res ipsæ. Nec enim sapientia tantum animus in hac calamitatis scena, sed & eloquentia roboratur. Frustra ad Rhetorum præcepta confugimus. Pueri sumus, cum sapere nos putamus. In scholis disertissimi oratores, in foro & repub. elingues. Tantum refert, quid, ubi, & quomodo dicamus. Qui in Ægypto nati sunt & non nisi illum fæcunditatis auctorē Nilum videre, cum alibi cadentes imbres conspiciunt, novitate perculsi, naturam rerum ruinam minari arbitrantur. Ita qui in umbra scholarum sub ferulæ imperio educati, cum à declamationibus, quæ frigore suo quartanam auditoribus incutiunt, ad res serias agendas devenere, in alium terrarum orbem delatos se opinantur. Dudum me puduit hu-

jus ſæculi, ex quo inſcitiam ejus propius inſpexi. Doleo ſane, me, qui ut vix adhuc aſſequi poſſim, ita veneror antiquitatem, inter hæc ingeniorum flagitia & laſciviam verſari. Quamdiu cum malis ſæculi, & corruptis artibus colluctabimur? Libet tecum expoſtulare, natura, ſive mihi mater fueris, ſive noverca; cur illis temporibus me non genuiſti, quibus aut non erat eloquentia, aut florebat. Mallem lucem non vidiſſe, quam hac ætate vivere, quâ bonis artibus quidam ineptiarum candidati bellum indixere. Peculiaris quidam animi æſtus me impellit, & ignoſcite ardori meo, auditores. Mores ſæculi ſunt, qui eam mihi neceſſitatem impoſuere, ut has commoti animi querelas apud aures veſtras deponerem. Veneratio antiquitatis eſt, quæ animum meum extra me jam rapit. Sed lamentorum

torum forsan satias vos cepit, & remedium postulatis. Frustra in deplorando morbo medicus occupatur, qui ejus expellendi modum non præscribit. Vtinam & meæ, & vestræ exspectationi hic possim respondere! Viam quæro, cujus beneficio ad antiquitatem possimus penetrare. Invenisse me opinor. Tragædia est, in qua masculæ illius eloquentiæ vis tenet principatum. Alibi languet, hic vivit; alibi lenocinium auribus, hic animis facit. Affectus & animorum concitatio, quæ præcipua aut sola Eloquentiæ pars est, hic dominantur. In ipsa viscera Tragica illa majestas se expandit. Alios sensus, naturam pene aliam, iis, apud quos agit, victrix imponit. Græci una cum Trojanis captivis in Chersoneso detinebantur, cum primum per tempestates licuisset in patriam inde transmissuri; sed

pere-

petebant Achillis manes, ut ad tumulum Polyxena mactaretur. Abducenda erat Polyxena è sinu Hecubæ matris, & in conspectu ejus ad cædem trahenda. Arduum hic negotium, & haud scio, an humano majus agebatur. Destinatur huic operi non Agamemnon aliquis, ut nonnemo loquitur, sed disertissimus Græcorum Vlysses. Quid exspectatis, auditores? Videte vim Tragicæ eloquentiæ & majestatem. Adit Hecubam, victimam poscit, persuadet, abducitur filia, mactatur. Deus immortalis! Quod homini ingenium fuit, quæ animo sapientia, qua providere rationes potuit, ut odia contra Græcos in Trojana regina exstingueret, iram adversus Achillem Hectoris sicarium in matre sedaret, impetum contra Pyrrhum Priami parricidam in uxore cohiberet, misericordiam

erga

erga unicam, quæ supererat, filiam in parente compesceret, lachrymas ob cædem innocentis puellæ in fœmina exhauriret, Hecubam in summâ orbitate luctuque, quasi objecto Medusæ capite, sensu omni atque humanitate spoliaret. Equidem magnus sit licet, quod Trojam Vlysses expugnaverit: mihi, quod vetulæ mentem debellarit, paullo major videtur. Certe illud cum multis, hoc solus fecit. Ibi dolo mutum & inane Palladis simulachrum aggressus est. Hic palam cum matre pro cæde filiæ obtinenda certavit. Tunc in corpora ferro desæviit, hic non ante sanguinem fudit, quam in animum oratione penetravit. Sapientiam Vlysses habuit, & ex sapientia Eloquentiam comparavit. Divino hoc comitatu accinctus omnia horrenda subiit, omnia adversa superavit, lasciviam novercantis

For-

Fortunæ & provocavit, & devicit. Inhoſpitalem terram peragravit, infeſtum mare tranſmiſit. Cum feris & barbaris colluctatus, ubique victor, ubique triumfator, quia ubique & ſapientiam & eloquentiam circumferebat. Quod in Troadis ſcena, & videmus, & admiramur. Hic non tam auribus, quam animo judicamus. Non ut vulgus ſolet, qui in oratione nihil amplius, quam linguæ facilitatem, dictionem rotundam, periodos elegantes, mollem compoſitionem ſolet laudare. Nec enim, ut ille loquitur, ſolis pulchritudinem Cimmerii, aut maris naturam mediterranei, aut Epicurei Dei eſſentiam poſſunt æſtimare. Hæc ſacra non intelligunt niſi excitatæ illæ mentes, quas à plebe & ratio, & virtus & ſapientia ſecrevit. Vt Socrates cum in terris decumberet, in cælo eſſe videba-

tur, & cum Dijs somniabat. Nos orationem altam, magnificam, Tragicam quærimus, quæ animos secum nostros longe supra terram omnesque terrenos affectus, quales ambitio, amor, ira, luctus, alia, extollat. Quæ vim animis faciat, & uno impetu vel donet mentem, vel evellat. Astyanax ad cædem postulatur. Andromacha mater ipsi vult consultum; in sepulchro Hectoris mariti sui abscondere statuit, & vix potuit, cineribus non turbatis. Ita loquutam existimate, & in Seneca aut hoc aut simile legetis. Maritus aut filius ad cædem postulatur. Vtrique hoc pectus devovi. Conjugales & materni affectus in me colluctantur. Nec rapi cineres mariti pati possum, nec filium jugulari. Alterum tamen eorum Græci imponunt. O mentis, & consilij inopiam. Fluctuat inconstans

ani-

animus, & in utramque partem commovetur. Nunc me, nunc filium, nunc maritum cogito. Filium trucidari, cum parens sim, non sustineo: Hectorem sepulchro erui, & ludibrio Græcorum cineres ejus exponi, quia conjunx fui, non possem tolerare. Vtrumque spectaculum natura repudiat. Ad flagitia ista dextra fatiscit, vox hæret, animus me relinquit. Alterutrum tamen facere oportet, quia alterutrum postulatur. O me afflictissimam omnium fœminarum! Testor immortales Deos, averruncare me scelus non posse. Aut Hectoris manes turbandi sunt; aut Astyanax mactandus. Verba & lachrimæ ubi estis. Verba desunt, & tamen calamitates nondum defecere. In hoc pectore & animo acerrime decertatur. Maritus & filius meus colluctantur. Vtrique vellem opitulari, sed non possum.

Si He-

Si Hectoris cineres quiescant, Astyanax mactandus est. Si Astyanax servetur, ossa Hectoris mei per mare, per terras spargentur. Quantum Hectori amoris mei accedit, tantum Astyanacti discedit. O scelus! ô necessitatem! Quid ago! Obijt Hector, cineres ejus dissipentur. Astyanax meus tantum vivat, Astyanax servetur, illa mei, illa Hectoris imago. Hoc est affectus excitare, & naturam aut sequi aut extorquere. Talis eloquentia Tragicorum. Vt nihil falsum, aut ignavum, aut dissolutum admittat. Nihil quod artis tantum præceptis continetur. Hanc quærimus, & utinam invenire possimus! Imo in Tragædia jam invenimus, sed utinam velimus imitari! Non ut quædam de Priamo, qui jam diu abiit, adferre possimus, aut apud sæculi illius Trojanos loqui, aut ducem aliquem,

qui

qui nunquam vixit, commendare. Sed ut sapientia instructus animus dictioni suæ majestatem possit commodare. Talem esse oportet, qui in masculæ illius Eloquentiæ palæstra velit certare. Talem in oratione requiro voluptatem, quæ magnitudinem ejus conservet. Talem requiro voluptatem, quam virtus & sapientia non dedignentur. In oratione lenocinia & fucum non contemnimus; sed aliud est quod æstimamus. & majestatem dico, & motus illos & ignes animorum, quibus excitari non possunt nisi illæ animæ, quæ propius cælo defluxere. Ita Socrates primum corpus, in corpore animam, in anima virtutem quærebat. Multa dixi, Auditores, plura adhuc possem, sed quæ omnia in una Troade habetis. Fateor, in bonæ mentis tyrocinio adhuc versamur, & judicium nondum ætas robo-

roboravit. Sed aures, oculos, animos vestros interrogate. Me quod attinet, testor vobis, nihil mihi gratius esse, quam in hanc scenam penetrare. Vbi linguam meam magnitudo calamitatis resignat. Vt in Cræsi filio naturæ repagulum diruptum est, cum extrema parenti alius intentaret. Loquimur hic cum Priamo, qui dudum excessit: Trojam videmus, quæ dudum exarsit. Cum Trojanis pectus laceramus, cum Hecuba ploramus: cum Priamo jugulamur, cum Hectore rapimur, cum Pyrrho, cum Agamemnone cum Polyxena versamur. Magnæ res, magnæ calamitates, magna proinde sapientiæ & eloquentiæ exempla. Vos igitur ad Tragædiam hanc ite, & ubi asses alibi, hic aures aut lachrymas commodate. Legere hic & audire oportet, ne similia de nobis aut scri-
bant

bant posteri aut legant. Gravissimas quidem clades hic edimus, sed extra periculum estis. Achilles ab inferis emergit, & tamen terra se non expandit: ardet Troja, & tamen extra incendium stamus. Plorat Hecuba & lamenta non audimus. Cadit puer Astyanax, & tamen ejulatu ejus non commovemur. Sic mala aliorum discimus, nec sentimus. Discimus autem, ut possimus cavere. Quin etiam discenda, quæ sequamur. Sapientia & Eloquentia primas hic partes faciunt, & ultimas absolvunt. In hac illam, in illa hanc utramque in Seneca, & potissimum in Troade, æstimamus.

ORATIO IV.

DE

TRAJANO.

OPTIMO PRINCIPE.

Habita, cum Panegyricum Plinij eidem Imperatori dictum interpretaretur.

SÆCULA aliquot supra memoriam nostram sunt, Auditores, cum optimus Principum Trajanus, post constitutam confirmatamque securitatem Reipublicæ Romanæ vita excessit. Ac, donata quidem cœlo anima, illustres ejus virtutes, & patrata domi militiæque facinora, quæ universus tunc orbis loquebatur, litterarum beneficio ad posteros pervenere, ut imitarentur. Factum enim est Senatus consultum, quo

quo ex utilitate publicâ placuit, ut Consulis Plinij voce, quemadmodum ipse loquitur, sub titulo gratiarum agendarum, boni Principes, quæ facerent, recognoscerent, mali, quæ facere deberent. Interfuisse generis humani existimamus, ut invidendæ illæ Trajani virtutes à disertissimo Consule, ex Senatus auctoritate, utpote omnium suffragio laudatæ ad posteros transmitterentur. quas vobiscum deinceps hoc loco accuratius contemplari, & ad eas amplectendas alios provocare jam gestit meus animus. Non quod magnarum virtutum sterile sæculum nostrum sit. Sed antiqua illa melius in exemplum trahimus, præsentia vero aut secure negligimus, aut ita, ut par est, non æstimamus. Vetustas quo repetita longius, eo majorem venerationem sui apud generosas mentes solet excitare. De

 Tra-

Trajano loquimur, quem nec infensum, nec obnoxium habuimus. Gesta celebramus, quæ non vidimus, ut nec invidiæ locus hic sit, nec adulationi. De patria paucis dicam; quia sine majorum dispendio, pluribus fieri non potest. Tudertino Hispaniæ oppido oriundus est; in quo nihil, præter ipsum est quod commendemus. Patrem habuit virum consularibus in Rep. dignitatibus functum. Regem fata invidebant, ne natus imperio, sed dignus videretur. Quod in aliis naturæ, hic meritis debebatur. Alterum virtutis est, alterum necessitatis. Succedere in imperio periculosum Reipub. Nam & indigni regibus nascuntur. Mereri imperium, & salutare Reipub. & honorificum merenti. Fallere enim non potest, qui meretur. Vetus tamen in Trajano familiæ dignitas fuit. Opes nec exiguæ, nec supra

pri-

privatum modum evectæ. Corpore valido, & forma, quæ digna imperio videbatur. Ingeniumque excellens, tam extra vitia, quam cum summis virtutibus. Prima ætate vigilias & cætera belli munia pari semper animi constantia exsequebatur. Vt parere prius disceret, quam imperare. Imo parebat, ut melius imperaret. Mandatas sibi provincias pari justitia continuit, major privato, dum privatus fuit, & omnium consensu capax imperii, nisi imperasset. Corruptus tamen Reipubl. status, atrocitasque recentium scelerum deterruit simul, & accendit. Paruit tandem, & imperium accepit, non tam ut imperaret, quam ut decus & majestatem Reipub. tueretur. Quæ nescio an acceperit digniorem, an fecerit. Sed Reipubl. facies inspicienda est, & lustrandum tempus, quo imperium

Trajanus accepit, ut virtutes ejus condignè æstimemus. Tacitum evolvite, & invenietis. Sub Vitellio, inquit ille, milites Romani, disjecta plebe, & proculcato Senatu, truces armis, forum irrumpebant. Nec illos aut æternæ urbis aut Capitolii aspectus, & imminentium templorum relligio, & priores & futuri principes terruere, quo minus facerent scelus, cujus ultor est, quisquis successit. Cum imperator jugulum percussoribus offerret, moneretque, agerent, ac ferirent, si ita è Republica videretur. Ibi direptæ aræ, & imagines imperatorum solo afflictæ. Ambitus fori, corrupta judicia. Æraria ambitione exhausta sceleribus supplebantur. Onera imperabantur, quæ gravia ante tributum in libertate genitis. Inexpertæ bellorum gentes in societatem scelerum & calamitatum velut

lut fato quodam trahebantur. Provinciarum ſanguine provinciæ exhauſtræ. Fraus, dolus in obſcuro, eoque inevitabilia. In deterrimis quibuſvis quæſiti honores. Furtis, rapinis, cædibus, quibus ſupplicia olim & cruces, tunc imperia decernebantur. Præmia magnæ virtutes, non niſi neces, carceres, exſilia, & quod peſſimum dominantium ingenia habebant. Sepoſiti in inſulas Senatores, nullum ob crimen, ſed vetuſto nomine, & claritate virtutum. Nec dies tantum, ſed & noctes per ejuſmodi ſcelera exigebantur. Induſtriæ innocentiæque, quaſi malis artibus infenſus Princeps erat. Alius populus, alius Senatus. Turbatæ res, & diverſi omnium animi. Vile decus publicum habebatur. Nam & majeſtatem urbis, & conſenſum populi ac Senatus adulatio atterebat. Nullus ordo metu, aut

periculo vacuus. Boni omnes precariam inter infensos animam trahebant. Instante metu consumtæ multorum voces. Domini servorum misericordia excipiebantur. Præfixa contis senum capita ferebantur. Dies fuit, cum plures, quam centum, & viginti libellos præmia poscentes ob magnorum virorum neces patratas, parricidæ Imperatori offerrent. Cum, cruento foro, per strages jacentium in Capitolium Princeps veheretur. Corrupta disciplina militaris. Victi Romani, cum tamen Romæ triumfarent. Adeo ut creditum sapientibus tunc fuerit, non fuisse Diis curæ securitatem Romanam, fuisse ultionem. In hæc tempora, cum extremum pene spiritum libertas traheret, Augusti titulus Trajano delatus est; cum alieno imperio felicior esse potuisset, quam suo. Hæc mala caput

orbis obsidebant. Quæ si nescitis, Auditores, profecto Trajanum ignoratis. Hic decrepitæ ætatis atque virtutis imperio juventam suam reddidit. Adeo ut toros atq; lacertos ejus metuerent Barbari; quos paullo ante contemnebant. Compositus in obsequium miles. Qui non tam per turbas & raptus, quam virtutis & Principis instinctu ad bellum impellebatur. Trajanus ibi dux, & miles. Nec consilia tantum, sed & dexteram offerebat: fidem atque animum ostentans. Cum agmen incederet, velut Dux viæ provolabat: longamque per spatium, is gaudentium militum clamor, ea alacritas fuit, ut haud dubium magnæ & prosperæ rei omen acciperetur. Ita se ejus auctoritas, sic rigor disciplinæ habebat, ut caput imperii subinde omitteret, & ipse, non per tribunos aut centurio-

riones, magna quæque expediret. Ipse hostium sanguine imperatorias manus imbuebat. Per ipsa mortis & fortunæ pericula plenus animi incedebat. Primus in conflictu intrepidum caput, & armatam ferro dextram opponebat. Sic æmulatione gloriæ suos accendit. Grave militi erat, post imperatorem esse. Nec tamen prævenire, sed ne adsequi quidem imperatorem miles potuit, cum semper esset primus. Sic ut inter militem & ducem nihil præter magnitudinem virtutis & alacritatis interesset. Caput non diadema, sed galea ornabat: & qua manu sceptrum domi, eadem gladium bello tenebat. Qui suadebat, adjiciebat consilio periculum, & fortunæ cœptis aderat, cui summum decus acquirebatur. Non tam diffidentia eorum quibus imperasset, sed ut militibus adæquatus cum impe-

imperatore labor volentibus esset. Enimvero pericula suorum & neces,in gloriam suam & laudem trahere magnitudine suâ indignum existimabat. Longe aliter comparatus, atque illi, qui laborante suorum acie securi, fortunam Principatus, inerti luxu, & prodigis epulis absumunt. Præsens aderat, non spectator tantum, sed & inter primos bellatorum, ut virtuti consiliisque ejus omnia deberentur. Magna quidem illa res est fateor & Reipublicæ periculosa, caput objectare periculis, quo salus omnium stat, aut cadit. Sed temperamentum fortitudinis, & modum impetus ita tenebat, ut nihil acrius, quam consideratius excitaret. Nam sæpe honestæ rerum caussæ temeritate nimiâ perniciosos exitus consequuntur. Iturus ad bellum ita consilia tractabat, prout ratio rerum, aut occasionum ve-

locitas patiebatur. Tacebantur secreta bellorum. Tam nesciebant quædam milites, quam sciebant. Didicerat enim experiendo, si, ubi jubetur, quærere singulis liceat, imperium corrumpi. Nullum cunctationi locum dabat in eo consilio, quod non poterat laudari, nisi peractum. Præsentibus instabat, nec optima videbantur, quorum tempus effugerat. Sic in uno Trajano plus, quam in toto exercitu, inveniebant hostes, quod timerent, & timentes tamen laudabant. Temperabat enim ab excidio civitatum. Socios secure adibat. Hostes nonnunquam comitate, ut plurimum armis exterruit. Quo tantus metus Barbaros invasit, ut universæ civitates cum magistratibus, & precibus occurrerent, stratisque per vias pueris fæminisque, quæque alia hostilis iræ placamenta, non quidem in bello, sed pro
pace

pace tendebantur. Sic Romanum imperium, quod inertia priorum Principum decreverat, longe lateque propagavit. Vrbes trans Rhenum in Germania non domuit tantum, sed & collapsas instauravit. Abdita silvarum, tutissima Barbaris refugia, nudavit. Daciam, Decebalo victo, subegit. Provincia trans Danubium ejus auspiciis facta in illis agris, quos tunc Victovali & Thuringi insidebant. Magnitudinem ejus provinciæ ex eo licet æstimare, quod decies centena millia circuitu suo amplectatur. Armeniam, in qua arma Romana jamdiu hæserant, a Parthis interceptam, Pharnace occiso, recuperavit. Albanis Regem dedit. Iberos, & Sauromatas, & Bosphoranos, & Osdroenos & Colchos, contiguasque barbarorum nominum nationes, ad quas fama virtutum ejus penetraverat, in fidem accepit. A-

diabenos & Marcomedos devicit. Anthemisium, amplissimam Persidis regionem, Seleuciam, & Ctesiphontem, & Babylonem & Edessios bello domuit. Ad Indiæ usque fines pervenit, & juxta mare rubrum tres Provincias fecit, Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam, ad usque Macedonum fines. Sed ad urbem revertamur, in qua nihil quisquam loquutus indignum, nisi de imperio Domitiani. Nec poterat Trajanus melius æstimari. Nemo supplici vultu, sed læti & alacres, non tam Principem, quam patrem agnoscebant. Calamitas paullo præcedentium temporum faciebat ut felicitatem suam magis prædicarent. Sub Domitiano enim afflicti, sub Nerva tantum non oppressi, sub Traiano ad priorem fortunam excitabantur. Adeo ut primi essent ad libertatem, qui postremi fuerant in servitute. Ita

tamen

tamen ne in licentiam verterentur. Sicut enim non ſine fine dominatio, ita quoque modus libertatis placebat: Traianus in gravioribus rebus, nec magnitudinem oneris, nec difficultatem remedii cauſſabatur, pari omnia animi conſtantia, & alacritate exſequutus. Bonorum, quod præcipuum imperij inſtrumentum, conſiliis utebatur. Non quod eorum induſtria egeret, ſed quod ita in famam & rempublicam videretur. Fecit ut auctoritas Senatui, obſequium civibus, omnibus fiducia rediret. Sic imminentem jam & inſtantem urbis ruinam magnitudine rerum præcepit. Quæ reliqua civilium bellorum exſtinxit. Habebant boni innocentiæ vindicem. Inveniebant in illo mali, quod ſequerentur. Vt qui ſub Domitiano ſcelerum miniſtri fuerant, ſub Trajano eſſent inſtrumenta virtutū. Iuſta in omnibus ju-

di-

dicia explevit. Nihil factum, quo cujusquam salus læderetur. Exuti honoribus, qui dignitatem, aut salutem sevitia redemerant. Quæ antiquitus instituta exoleverant revocavit. Publica paupertate inspecta modum impensis non postulavit tantum, sed fecit. Nihil iniquorum vectigalium suis imperabat. quæ accepta non in luxum, sed in necessitatem Reipublicæ servabantur. Cives circo, & theatris, & amænitate urbis emollitos ad severiora erexit. Plus hinc roboris. Nihil libidinum, & disciplinæ pudorem adhibebat. Iuvabat sequi, & vestigiis præcedentis Principis cæteri insistebant, ut qui solus ad imperium bonas artes attulisset. Nam & facundia aderat, mulcendique vulgus auctoritas. Vt olim procacitatis, petulantiæque, tunc modestiæ & virtutis certamen erat. Miles ducem, spreta aliorum segnitia, laudibus

dibus ferebat. Hæc omnes, hæc singuli, ut quemque ardor impulerat. Sic augustum illud OPTIMI, & PATRIS PATRIÆ, nomen accepit. Talem enim benificiis magis, quam imperio Principem experiebantur. Desiderataque diu res, interpretatione virtutum, in majus accipiebatur. Sic magna quæque ingenia, patrata à Trajano domi militiæque, albo æternitatis inscripsere. Gravissimus scriptorum Tacitus Principatum Trajani securiorem uberioremque materiam senectuti suæ se reposuisse testatur, rara temporum felicitate, ubi sentire quæ velis, & quæ sentias dicere licebat. Quæ ipsa, immortalitate dignissima, cum reliquis injuria ætatis nobis invidit: In solo Plinio Trajanum habemus, in Trajano imaginem omnium magnarum virtutum. qui ea libertate omnia scripsit, qua Trajanus fecit.

fecit. Adeo ut incomparabili Principe opus dignissimum sit, & ipsum incomparabile. Habet ibi gloriæ suæ præmium Trajanus, omnes exemplum.

ORA-

ORATIO V.

DE

POESI VETERUM.

Habita cum ad Medeam Senecæ lectiones auspicaretur.


Votiens mecum cogito res humanas, arcana quædam vis esse videtur, Auditores, quæ non modo ipsa imperia, sed etiam animos solet immutare. Sæculum unumquodque genium habet, & peculiare quid, quod sectatur. Quæ olim in pretio habebantur, à contemptu vix jam se possunt vindicare. Decrevit generosa illa indoles majorum, & ad ineptias, quodam quasi senescentis mundi fato delapsi, humanitatis studia cœpimus aspernari. Non de vitæ brevitate, sed de ætate nostra con-

conquerimur, quæ magna diutius & excelsa non potest æstimare. Imus, imus magnis passibus in occasum litterarum, & tanquam solidæ omnis doctrinæ satias nos cepisset, ad barbariem incitato cursu festinamus. Quasi vero non satis sit ad eam venire; nisi etiam cito penetremus. Sterile sapientiæ, & bonæ mentis vacuum, & fæcundum nugarum sæculum, pe-ctamus. Vt angues suam sibi perniciem involvunt, ita nos eam amplexamur. Ad corruptos mores, ad perversa ingenia provocamus. Eo insaniæ quidam venere, ut adminicula sapientiæ, tanquam supervacua, jusserint exulare. Injurij in antiquitatem sumus, cujus tot præclara monumenta vilipendimus, sine quibus frustra ad metam studiorum properamus. Cęteras artes prætereo; de Poësi dicendum est, quæ á nonnullis inepte aut

contemnitur, aut, quod pejus eſt, ridetur. Cujus rei cauſſa non alia eſſe videtur, quam quod pro anguſtia animi ſui virtutem ejus, aut majeſtatem non poſſint ſentire. Quidquid autem non capiunt, calumniantur. Nolo mihi tantum fidem habeatis, auditores, totius antiquitatis ſuffragium pro me opponam. Poeſin divinarum & humanarum rerum ſcientiam omnes prodidere. Nemo negabit hoc,niſi qui eam ignorat.Neque judicium de Poeſi ferre poſſunt, niſi qui eam imbibêre, maſculam illam, plenam virtutis, & majeſtatis,quæ non tantum inſidias quaſdam auribus, ſed vim animo facit. Quæ ſimul cum ipſo orbe & ratione nata, veluti per gradus quoſdam magis magiſque exculta ad nos pervenit. Originem ejus ad Deos quidam retulere, quod Dijs digna videretur. Nos ab ipſo ho-

mine, & cum homine cœpisse putamus. Silentium primum natis natura indixit, mox provecta paullum ætate, laxatis linguæ repagulis, homines loquuntur, & lenocinijs sermonis delectati, numeros sectantur, è quibus Poesis nata est. Adeo ut natura Poetam faciat, ars absolvat. In natura numerum in arte imitationem habemus, ut Plato loquebatur. Suavitate concentus delectari, non nobis tantum, sed brutis etiam natura insevit. Pythagoras totum hoc universum constare ex numeris arbitrabatur. Vnde & Deum unitatem esse existimabat, & interrogatus, quid hominem divinæ mentis participem indicaret, quod posset numerare respondit. Quantum igitur divinitatis argumentum cum numeris loqui? sic Deum quendam peculiarem, sic cælestes quosdam impetus Poetis suis veteres pagani

ad-

adſignavere. Quod igitur cum ipſo homine cœpit, quod divinitatis eſt argumentum, mirum videri non debet, ſi olim tanto ardore ſint ſequuti. Erant qui excolerent, erant qui aures commodarent. Neque enim aptum omnium ingenium ad tantum opus habebatur. Vt jam de cæteris non dicam, omnium artium, & diſciplinarum cognitione inſtructos eos eſſe oportebat, quibus ſapientiæ regnum deferebatur. Illi arcana naturæ, illi origines rerum & docebant alios, & ad poſteritatem transfundebant. Teſtantur id tot præclara veterum Poetarum monumenta, quæ adſperſa ſale æternitatis, ætatem tulere, & incorrupta ad nos pervenere. Quidquid poſterioris ſæculi Philoſophis traditum, id à Poetis dimanavit. Nihil illi præter frivola certamina & quæſtiones addidere. Omnes quippe ſapien-

pientiæ, ſolidæ, maſculæ, immotæ partes Poeta abſolvit. Deum, nihil, Chaos, conditum orbem, Heroas, homines, & quævis naturę arcana illi mortales prodidere. Attollitur animus cogitatione rerum, & ipſa magnitudine commovetur. Philoſophia ipſa aut ſimul cum Poeſi cœpit, aut ab eâ originem accepit. Parens noſter Homerus & abdita naturæ, & civilis prudentiæ inſtituta, & in qua cuncta latere arbitrabatur, Theologiam abſolvit; quę non alia complexa, quam quæ in natura rerum, aut divina, vel certe plus quam humana videbantur. Quidquid natum erat, quidquid naſci, quidquid fieri debebat ille ſapientiæ omnis ſtator inculcavit. Plato, Socrates, & qui eos ſequuti verba tantum impendere; & verba quidem, quæ Poetarum numeros, & majeſtatem redolerent. In Hectore

ctore suo docet Homerus, quidquid de fortitudine Aristoteles inculcavit. Animum ejus videtis intrepidum, & adversus omnes fortunæ & hostium insultus immotum. In Vlysse prudentiam habetis; qua & futura providere, & quæ in rem præsentem essent, exsequi volebat. Adeo ut Ilias & Odyssea universa non sit nisi virtutum omnium & vitiorum compages. Virtutum magna specimina missa ad exemplum posteritatis. Vitiorum illustria documenta, sed quæ à perverso illo æstu sapientis animum arcerent. Dum Græci inter sese digladiantur, dum mutuis odiis occupantur, Trojani eos cæcidere: discite hic discordia imperium corrumpi, & maximum ad res gerendas momentum compositos animos haberi. Ob unius Paridis scelus totus orbis conjuravit, tot cædes patratæ, tot du-

ces profligati, ne cupiditatibus frænum laxetis. Hæc sunt illa abdita Poetarum, quæ & videbant veteres, & tantopere admirabantur. Nos penetrare non possumus, dum partium & ineptiarum studio occæcatus animus tantam majestatem non capit. Solis splendorem nisi aquilæ ferre non possunt. Poesin, & dignitatem ejus nemo percipere potest, nisi qui animum suum expurgavit, ut Plato dicebat. Quæ purgatio animorum non nisi secessus quidam est extra res humanas, & contemptus ineptiarum. Quam quia hodie non habemus, aut habere non volumus, tantopere cæcutimus. Poetam, & Philosophum quantum distare existimatis? Deus cuncta moderatur, ajunt Philosophi: Iuppiter, Neptunus, Pluto cælo, mari, terrę pręsunt, ut dicunt Poetæ. Et jam idem audivistis. Possem plura, sed longum

gum esset omnia recensere, & videre vos jam opinor. Dico ego tantum inter Philosophum, & Poetam discriminis esse, quantum inter Alexandrum Magnum, & Philippi Macedonis filium, aut quantum inter Socratem & Xantippes maritum intercedit. Aliter Poetæ & Philosophi loquuntur, sed idem volunt. Græce Epictetus, Latine Seneca disputavit, & tamen eundem nobis uterque exhibet sapientem. Aliquid dixi, auditores, majus quid, si vacat, audite. Tanto Philosophis Poetæ præstant, quanto melior cythara bene composita, quam illa, cujus chordæ aut non respondent, aut periere. Dicam clarius ut intelligatis. Eadem omnium Poetarum sententia est, sed in partes Philosophi abiere. Quot capita, tot opiniones. Sceptici quæ videbant, videre se negabant.

Si in publico vapulassent, actionem instituere non poterant, quia vapulare se non putabant. De Dijs quam diversæ opiniones? Plato unum Deum censuit, Anaximander cæli sydera, Thales animam mundi, Pythagoras unitatem, Stoici ignem Deum putavere. Consentiunt hic Poetæ, qui Iovem Deorum & hominum parentem, ejusque plena omnia semel & semper dixere. De animæ natura ut Philosophi digladiantur? Pythagoras numerum existimavit, Plato substantiam, Asclepiades sensuum exercitationem, Stoici spiritum, Democritus flammam censuit. Aristoteles Entelechian nominavit; quod Latine effari non audeo, quia ipsum Eloquentiæ patrem Tullium Philosophi culpavere, quod male reddidisset. Quid hic Poetæ? Genium unicuique vitæ custodem, & moderatorem adsig-

ſignavere. Nemo ab Homero diſſentit. Quidquid ille ſtatuit, omnes fuere amplexi. Evolvite Poetarum monumenta, ubique eiectus cælo Vulcanus pedem trahit, ubique Ixionis rotam, irritum Syſiphi laborem, Tantali famem, atque ſitim legetis. Videtis Poeſin Philoſophiam quandam eſſe, ſed divinam, erectam, conſtantem ſibi. Auſterior Philoſophia eſt, ubi blandior Poeſis, quæ numerorum ſuavitate tamen in animos ſolet penetrare. Sic ajunt Orpheum immanes belluas permulſiſſe, Amphionem lapides & ſaxa moviſſe. Fabulam hanc ſi dicitis, agite, mittamus. Dicam quod huc facit, & negare non debetis. Poetas carminum ſuavitate uſque adeo valuiſſe, ut primo rerum exordio, efferatas illas gentes à ſolitudine ad frequentiam & ſocietatem, à ferocia ad humani-

tatis cultum revocarint. Soli olim Poetæ fuere, soli Philosophi, qui sapientiam omnem, & illam quæ in actione, & illam, quæ in contemplatione consistit, fuere complexi. Regnum eorum per omnia se diffundebat. Nec sane Homerus alia de caussa dictus est sapientiæ parens, quam quod doctrinarum omnium præcepta si non ubique expressa; at certe inchoata in divinis ejus scriptis laterent. Cogitate cum animo vestro, quidquid vultis, in Poetarum monumentis invenietis. Primo omnium sub fabularum tegumentis divinitatis opinionem in animis mortalium excitavere. Docuere supremum illud numen, quod Deum vocamus, non cælestes tantum sedes sibi vendicare, sed & per omnia diffusum esse, omnibus vim suam, omnibus majestatem suam commodare. Montibus, pratis, sylvis,

vis, fontibus, Deos suos adsignavere. Adeo ut nulla apud Poetas orbis pars sit, quæ Deo careat, ut Plato loquebatur. Syderum motus & varietatem primi Poetarum invenere. Quod Venerem, quod Martem, quod Saturnum, quod plaustra in cælo habetis, id totum Poesi referre debetis acceptum. Geographiæ auctorem Homerum Strabo nominavit. Auguria, somnia, vaticinia, eorumque interpretationes, quæ tanti erant apud paganos, sola Poesis edolavit. Addite vitæ mores ejusque recte qua publice, qua privatim instituendæ exempla, ad hanc magistram ite, & habebitis. Non hic disputat in Stoa Zenon, aut in Schola Socrates. Non hic minaces, aut severi magistrorum vultus. Casta hæc, læta matrona est, quæ semper canit, & docet. Neminem à se expellit. Quemvis & sem-

ſemper admittit. Domi, foris, bello, pace, Regum, Principum, Virorum, Fœminarum, omniumque denique mortalium mores, inſtituta, & cum his exempla habentur: Plus in Poeſi, quam verba, & fabulas debetis æſtimare. Colorem in pictura vulgus, artem & ſymmetriam artifices tantum poſſunt amare. In Poeſi tumorem verborum modo quidam ſolent admirari, & ad ipſa penetralia anguſtæ illæ animæ non poſſunt penetrare. Non auribus hæc ſacra, aut oculis tantum, ſed animo oportet explorare. In divina Æneide aliud pueri, aliud ſapientes inveniunt. Exhibebo hic vobis fabulam. Vir quidam pietate, & fortitudine præclarus, parentibus Heroe & Dea natus, incenſa patria, matre Dea viam monſtrante, fata ſequutus in Italiam, venit, & urbem excitavit. Hoc

Æneidos argumentum. Pauca hæc quidem, & parva, fateor, sed quam multa intercedunt, quæ episodia magistri Græcorum, nos divina appellamus. Videtis virum singularem, & quantum licet, à natura, à virtute, à sapientia perfectum. Docet ille quo animo & amplectenda sit, & dimittenda fortuna. Circumfert inter media mala, inter patriæ flammas, inter naufragia & tempestates animum plus quam humanum, invictum, & ubique parem sibi. Odit, amat, suadet, dissuadet, ubique rationem habet, ubique exemplum. Quemadmodum Cyrum suum Xenophon, Rempublicam suam Plato, pulchrum suum Socrates, ita Æneam suum Maro in exemplum posteritatis ostentavit. In illis etiam, quæ aut contemni solent, aut rideri quantum existimatis latere? Dido amatur. Æneas

amat. Sed quantum docent! Habent sane, quod scire melius sit, quam ignorare. Diogenes cum in vasculo suo se ipsum volveret, ridebat tamen sæculum, aut docebat. Epictetus, quamvis deformis & claudus, severioris tamen sapientiæ candidatus, viam virtutis exemplo suo ostendebat. Nihil in Poesi, etiam illa, quæ amores habet, quod non decet. Si quibus tamen asperioris paullo ingenij ne quidem evolvenda illa videantur, agite cum Platone, qui & in civitate sua legi nolebat, è bibliotheci vestris jubete exulare. Non aqua aut igni, sed oculis & manibus interdicite. Ad illos hujus artis antesignanos ite, qui aut rident sæculum suum, aut repræsentant. Quorum illud Satyra facit, hoc Tragædia præstat. Idem mihi Satyra esse videtur, quod militia Parthorum; qui-

dum fugiunt, etiam tela & simul vulnera intentant. Sic Satyrarum scriptores dum laudant, carpunt, dum rident, indignantur. Adeo ut inter Satyram & Tragædiam tantum intersit, quantum inter eum qui sensum animi serio exponit, & illum, qui aliud loquitur, aliud tegit. Tragædia, tanquam castissima matrona, erecta incedit, omnium vultus & mores ostentans, cui nemo magis irascitur, quam qui ei dedit argumentum. Inter Deas solam Fortunam infestam habet, quam ut cæcam, iniquam instabilem passim traducit. Sedent in hac scena reges, sedent principes & digladiantur, non de tigno immittendo, aut de stillicidio aut de servitutibus prædiorum, sed de immittendo gladio, de stillicidio sanguinis, de servitute populorum. Hic extra periculum stamus, & videmus, ut possimus

evitare. Nemo fallitur, qui huic ſpectaculo incumbit. Nihil eorum æſtimat, quæ aliquando non poſſet habere. Regnum ſimul & patriam cum Trojanis, jugulum ſimul cum Priamo deponit. Quis ad hanc ſcenam propius non adcurreret, in qua, quamdiu vivimus, verſamur? Adſurgite proinde, Auditores, & mecum hic paullum agite. Medeam vobis exhibebimus, & quæ domui ejus calamitoſa evenere. Si verum eſt, quod narratur, exemplum formidate. Si fabula ſit, ne vera fiat videte. Tragædiam legiſſe, aut vidiſſe, facit ne materiam ipſi, aut argumentum in nobis demus.

ORA-

ORATIO VII.

DE

Satyrica Veterum Sapientia.

Habita cum Satyrarum Juvenalis explicationem aggrederetur.



Vemadmodum cum cæteris rebus humanis, ita etiam cum ſapientia actum fuit. Illa ſicut æquæva rebus, & omnium ſcientiam complexa ſibi conſtabat, ita inter homines, velut per ætates promota, aut ſtetit aliquando, cum ignavos mortales haberet, aut variavit, cum incideret in diverſitatem ingeniorum. Niſi per primos hominum fuiſſet ignarum non tantum præcedentium rerum, ſed etiam non capax ſui ſæculum noſtrum eſſet. Verum

rum illi origini suæ propiores, cum alienum ab ineptijs animum haberent, prolixæ ætatis beneficium pari diligentia æquavere. Adeo ut ratio fuerit, cur pulcherrimarum artium primos auctores inter Deos referendos crediderint antiqui. Degener autem posteritas, quo plus in inventis, minus in ætate præsidij haberet, partis tantum insudavit. Nec ultra sapientia fuit æstimata. Ita adibant majorum hæreditatem, nec augebant, &, ut quod plus est dicam, inertia deterebant, quæ invisa primum mox placebat. Vt ingenium humanum est, quod ubi semel otio sese dedit, vix illud in posterum expellit. Assiduam quandam in excolendis disciplinis diligentiam quærimus, quæ animum nostrum serio ijs intendat. Qua nisi occupati simus, ignoramus omnia, ubi omnia nos scire existimamus.

Vt qui iter faciunt in avia delapsi ibi profecisse se putant, ubi ab instituto longius discessere, Ita pertinaci mortalium socordia deliquium sapientia accepit, quæ ut caput jam extulerat paullulum, ita magis promoveri debebat. Quemadmodum recens in lucem editos majori cura observamus, cum suis sese viribus non possunt sustentare. Mox lapsæ illæ cælo animæ, quæ in Græcia natæ, totum terrarum orbem, socordiæ suæ incumbentem, instauravere. Orpheus cum de Diis caneret, ab ineptiarum studio ad cælum, unde profluxerant, mentes attollebat. Homerus cum Trojam exhiberet, omnium rerum cognitionem, sed sub involucris fabularum, & invadebat ipse, & alijs instillabat. Numerorum quippe suavitate ducendi mortalium animi videbantur, quam nec prætermisit Plato cum

de virtute disputaret. De ea enim agendum erat, cum in vitijs orbis laboraret. Sed difficile hic erat invenire rationem, proinde in partes singuli ivere. Nemo hic dux erat, quem miseri mortales sequerentur. Nec ratio, quæ ita aliquando proponebatur, ut etiam malis favere videretur. Nec affectus, qui parum recte judicabat. Nec opinio, quæ ne quidem in optimis consistebat. Nec multitudo, quæ insulsorum hominum copia laborabat. Ita dum dissentiebant singuli, omnes contemnebantur. Erant tamen qui voluptatem inculcarent, quæ omnium animos facile invadebat. Speciosa enim nomina hic obtinent principatum. Sic multi, qui habitum & mentum Philosophi tantum habebant. Sed admittendi illi non erant, qui lasciviam præscribebant. Sicut Imperatorem non ferimus, qui ex

acie abit, & tantum in fuga dux est. Natus tunc optimus Socrates, qui voluptatem, sed erectam & masculam, qui pulchrum, sed animi, inculcabat. At mirari satis virtutem illius viri non potestis, nisi ad sæculum illud animum convertatis, cum quo integerrimum illud pectus decertavit. Oppressa erat tyrannis Respublica. Scholæ Sophistarum ineptijs vexabantur. Prava opinione omnium animi tenebantur. Luxus ubique dominabatur. Meretriculas Ionia, eunuchos Babylon educabat, pessimas artes Ægyptus subministrabat. Quot terrarum partes, totidem luxuriæ instrumenta habebantur. Cum illis belluis colluctari Socrates debebat. Et colluctatus est, sed parum profecit. Inveterata enim jam mala erant, quæ illum animorum medicum non admittebant. Imo vero stolidi mor-

mortales illi irascebantur. Quemadmodum mercedem virtutis venenum accepit. Quid eum fecisse tunc temporis existimatis? Dicam, & constantiam ejus mirabimini. Sæculum suum, quo major erat, serio ridebat, sic ut simul Satyras secum ageret, & loqueretur. Ridebat, sed cum animo suo lachrymabatur. Loquebatur, sed pauci intelligebant, imo vix quidem illi, quos pungebat. Cum justitiam laudaret, nemo admittebat, proinde injustitiam reprehendebat, sed ita quasi laudare eam videretur. Ita Satyram cum Socrate cœpisse existimamus. Quã ei necessitatem corrupti mortalium mores imponebant. Quemadmodum enim medicus furentem & insanum ægrum quem sanare non potest, aut ridet, aut contemnit, ita Socrates à risu & salsâ dictone præsidium simul, & sola-
tium

tium capiebat. Sibi solatium, præsidium alijs impendebat. Ridebat fortunam, quasi quæ nocere non posset. Animus enim sapientis major fortuna est, quæ non nisi sua, levia, caduca, aut tentat, aut prosternit. Ridebat Rempub. quæ tyrannos & habebat, & amabat. Ridebat Philosophos, qui solo sapientiæ nomine instructi, non nisi informem animum excludebant. Quod genus hominum aut non nasci, aut uxores ducere non debebat, ne ineptias propagaret. Ridebat populum, qui ab illis sese trahi patiebatur, quasi alius non esset, quem sequeretur. Videtis, auditores, nihil optimo seni defuisse, quo minus rideret. Lachrymæ non placebant, quia ambitiosæ in tantâ calamitate videbantur, vel quod indignum se putaret, lachrymari. Legerat enim haud dubie eo nomine ab antiquis reprehensum

sum Homerum fuisse, quod aut Deos, aut Heroes lachrymas emittentes introduxisset. Credere tamen malim majora lachrymis mortalium mala visa Socrati fuisse. Quemadmodum enim unâ littera Pythagoras, Hieroglyphicis Ægyptij, brutorum vocibus Æsopus, ita per Satyram Socrates virtutem inculcabat, & sæculi vitia in voluptatem suam convertebat. Ridebat enim, & ubertim ridebat. Nomen tamen Satyræ Socrates non invenit, sed mutavit. Quod Baccho olim sacrum, virtuti, & vitijs impendit. Virtuti, ut commendaret, vitijs, ut iratum se ijs probaret. Neque enim dij laudandi videbantur, quamdiu mortales lascivirent. Ignoscite mihi auditores, nunquam hic probare potui commenta Grammaticorum. Satyra à Satyris nomen non accepit. Libidinosi illi sunt.

Hæc autem libidinem, aut carpit, aut excludit. Nec à refertâ dapibus lance. Quippe luxuriam aut ridet, aut contemnit. De nomine solliciti non sumus, rem quærimus, & hic habemus. Ex quo à primâ simplicitate sæculum descivit, & scelus, ac quod pejus scelere est, speciem virtutis vitio impendit faciendum sibi sapientes putavere, ut aut monerēt, aut carperent perversos mortalium mores, & à recto devia eorum instituta. Delinquentes primo monebant, mox pertinaces carpebant. Vt medici, qui non nisi extremis morbis aut urunt, aut secant. Monebant, ut rectum, & quod agendum esset, viderent, si ignorarent. Carpebant, ut scelera sua facinorosi intelligerent, & si non virtutis, quæ tamen sibi ipsi sufficit, certe infamiæ & ludibrij caussa se ipsos à vitijs abstinerent. Ex utroque Sa-

tyra simul cum Socrate nata est. Vtrumque ei adsignamus. Monet juxta, & carpit, sed carpit mordaci quadam dicacitate. Incipit tamen Satyra, ubi aliæ artes desiere. Primo Philosophus de virtute agit. Deinde ubi cum furore conjunctum vitium, medicus aut venam tangit, aut secat, aut helleborum propinat. Succedit Iudex, & ex lege Iulia in adulteros, ex Cornelia in sicarios agit. Satyra Philosophum tangit, si nihil profecit, medicum, si corpus ejus stolide aggressus fuerit, cujus anima laborabat, judicem, si pænam non intentarit. Scitis quam difficile sit alios reprehendere: Qui enim malus est, bonus vult videri. Si taceamus, jam non agimus, quod debemus. Si acrius paullo invehamur præsertim in illos, qui majores sunt, aut ad ergastula damnamur, tanquam furiosi, aut ex lege

de famosis libellis nobiscum iudex agit, & plectimur, tanquam publicæ quietis turbatores. Rationem hic Satyra invenit, quæ, ut virtus, consistit in mediocritate. Vrbanitates habet, & venustates quasdam, ut primo aspectu, vel auditu vix reprehendere videatur. Ad has vulgus adscendere non potest. Nempe ut inter eos, qui altam turrim conscendunt, quidam proxima tantum, & obvia omnibus, quidam remota intuentur, ita in Satyricorum scriptis nonnulli protrita tantum, & verba apprehendunt, nonnulli autem altius animum porrigentes ad secreta hæc & arcana possunt, ac solent penetrare. Aliud quippe hic legere, aliud sentire debemus, ut cum Minervam apud Homerum legimus, sapientiam esse existimamus. De Satyræ natura pluribus forsan agi à me vultis, sed libens

fateor me ignorare. Satius hic est sentire, quam loqui. Abdita quædam sunt, quæ pungunt, & animo tantum exploramus. Vt apes aculeos quosdam habent, quos vix videmus. Verba quædam hic sunt, quæ ita conjuncta, ut magis ferant quam dicant. Cum manibus hic colluctamur, & de viventibus cogitamus. quippe ab illis periculum non exspectamus. Majus adhuc quid latet. Sæpe in Satyra ut alios carpere possimus, nos ipsos culpamus. Quem candorem vocat, qui ignorat, stricturam, qui sentit. Nullum autem hic periculum habemus. Neque enim actionem instituere Iudex potest, quamvis reum hic habeat confitentem. Qui enim sic confitetur & alium indicat, & seipsum absolvit. Ita Socrates nihil se scire dicebat, cum optime disputaret. Philosophos autem suorum temporum tange-

bat.

bat. Dicam amplius. Nonnunquam in Satyra poeta laudat, quem carpit, nec tamen adulator. Eodem quidem illi modo agunt, cum tamen alter ab altero vel ex proposito, vel ex fine, vel ex animi habitu sit discernendus. Ille enim vitium spectat, sed hic commendat. Vt prudens medicus bellaria sua, illa absinthij, & aloes vel auro inficere, vel saccharo condire solet, ne primo aspectu æger deterreatur. Adeo ut Satyra mihi quidem similis esse videatur militiæ eorum; qui dum fugiunt tela emittunt, quæ tanto magis feriunt, quo incautiores illi, in quos præter exspectationem diriguntur. Aliter autem atque aliter Satyra aliquando exhibetur. Aut enim eam agunt, aut loquuntur, aut scribunt. Egit diogenes cum se vasculo suo inclusum passim volveret, ut turbas à Philippo Macedone excitatas

indi-

indicaret, & cum claro die ſplendente ſole, lucernam manu tenens inter medios homines, homines adhuc quæreret, nec inveniret. Sic egit Democritus cum ſemper rideret, ſic alter ille cum ſemper ploraret. Loquutus eſt Socrates, cum repletum veneno poculum ſumpturus Athenienſes rideret, quod morte afficiendum eum decreviſſent, quem jam mortalitate naturâ damnarat. Scripſerunt Satyras plurimi, ſed non uno modo, pro diverſitate ſcelerum, aut ingeniorum. Neque enim mores tantum, ſed & diſciplinæ quævis ſub nomen, & examen Satyræ vocantur. Ita Coſmotorinen Varro ſcripſit, ubi Philoſophos ridet, quod de orbis excidio tanto impetu diſputarent, cum de initio ejus vix conſtaret, quod de fulminis materia diſputarent, cum nemo illud viderit, niſi obiter, nemo expertus ſit,

ſit, niſi qui poſtea non eſt loquutus. Pleraque tamen Satyricorum ſcripta in corruptis moribus fuere occupata. Fæcundum enim argumentum quævis hic ſæcula & ſolent, & poſſunt ſuppeditare. Quidam ut quod geſtum eſt perſtringant, quod geſtum non eſt proponunt. Somnia illi exhibent, quæ vigilantes videre. Quidam pungunt, ut Lucilius. Nonnulli rident, ut Horatius, quidam indignantur, ut Iuvenalis. Vt de cæteris jam nihil dicam, illuſtre hic ejus ingenium, ſimia, ut ſubinde loqui ſoleo, ſuorum temporum. Vixit enim ſub Domitiano, cum domi foriſque corruptiſſima eſſet Reſpub. Romana: quæ & imperij & vitiorum incrementa ſimul accepit. Quorum nonnulla atrocia erant, nonnulla ſtolida, & vana, & ſi mollius acciperes miſeranda, quæ defleri magis pote-

rant, quam defendi. Avaritia, luxus, libido alia ad vocabula, eaque ſpecioſa transferebantur. Ita nihil ſceleri exceptum. Et hunc mundi ſtatum nulli jactantius deflebant, quam qui maxime lætabantur. Nihil mortalibus tunc reliquum, quam inter media mala, aut retrahere collo fugientem libertatem, aut ante ſervitutem, vel in ipſa mori. Aliam profecto ætatem Poeta merebatur, in qua ſuum virtuti decus conſtaret, ſed habere non potuit, quæ fæcundiorem materiam daret, in qua Satyricum illud ingenium ſuum exerceret. Tam accurate omnia depingit, ut videre ipſi videamur. Tam facile vitia deſcribit, ac ſi feciſſet, tam graviter inſectatur, ac ſi quam maxime fuiſſet deteſtatus. Quidquid publice, quidquid privatim malum notavit, eâ eloquentiâ, quæ magnitudini rerum

reſponderet, eâ libertate, quæ licentiæ illorum temporum debebatur. Stringit ubique, tonat, impellit. Vt omittam illam in ſcribendo rotunditatem, & ſingulares venuſtates, quæ prope divinæ eſſe videntur; quam multa ex abſtruſa vetuſtate habet? Quam diligenter arcana omnia penetravit? Nemo in totâ antiquitate eſt, qui hic ei non concedat. Sunt qui nimiam ejus in perſtringendis vitijs carpunt libertatem. Ad ætatem, qua ſcripſit, adtendite, & abſolvetis. Scelera non in abditis, aut ſecretis locis, ſed palam gerebantur. Nemo non videbat, niſi qui Romæ non erat. Proinde mirum videri non debet palam illa taxari, quæ palam fiebant. Quæ antea viderant oculi, ibi legebant, ſed ut tanquam mala deteſtarentur. Fædius crimen verbis facere, quam eſt, ſcelus exiſtimamus, at vero ita

lus designare, ut aliter castigare non possis, castæ cujusdam simplicitatis est. Proinde, Auditores, ad hunc sæculi sui censorem, & sapientiæ dictatorem mecum nunc ite. Sic extra sæculum vestrum paullo altius provecti, ea tempora visuri estis, quibus non vixistis, & vivere tutum non erat. Et ita videbitis, ut quæ facta sunt olim, & jam fiunt, ad ætatem vestram transferatis.

ORA-

ORATIO VIII.

DE

SAPIENTIA ÆSOPI.

Præmissa lectionibus ad Satyram quartam Iuvenalis.



Votiens in ultimam antiquitatem supra sæculum nostrum imus, Auditores, in tantâ hominum atque gentium diversitate eandem sapientiam quidem atque virtutem aliter tamen atque aliter fuisse inculcatam inveniemus. Quippe ita comparatum est cum animis humanis, ut postquam corporis hospitium sunt ingressi, omnes quidem capaces divinæ rationis, eodem tamen modo eam alijs non exserant atque exponant. Quemadmodum enim in bello alius hasta, alius gladio,

 alius

alius sclopo pugnat, & tamen omnes eandem victoriam, & cladem hostium intendunt: ita etiam inter primos illos veræ rectæque sapientiæ auctores, quidam severitate, alij amænitate, nonnulli verbis, multi silentio eadem tamen mortales docuere. Vnusquisque eorum de corruptis moribus triumphare, ad magna præclaraque mentes excitare, in singulis, in familijs, in rebus publicis, cælestem quandam æqualitatem, quam harmoniam dicebant, conciliare sedulo laborabat. Cum in nonnullis dissentirent subinde, in eo tamen, quod potissimum, conspirabant. De animæ natura quam diversæ opiniones? Et tamen nullus fere exstitit, qui summam ejus felicitatem virtute & scientia absolvi negaret. Erant qui unius, qui paucorum, qui omnium imperium

pro-

probarent, omnes tamen in Repub. æquitatem volebant. Ita conveniebant inter sese etiam cum dissentirent, & in ipso conflictu animorum ad idem omnes bonum, Deum dico, & quæ cum Deo proxime nos conjungit, virtutem adspirabant. Quis nostrum est, qui Æsopum ignorat, & jam non cogitat, ubi de virtutis & sapientiæ tradendæ modo disputamus. Non in Academiam ille, aut Stoam, sed in agros & pascua, in stabula secedebat, ut vitæ qua publice, qua privatim bene agendæ præcepta animis mortalium instillaret. Ita rationem quærebat ille, ubi non erat, & sic quærebat, ut inveniret. Ita in partes suas bruta vocavit, atque in ijs ostendit quidquid vel sequi mortales deberent, vel cavere. Et quemadmodum Plato mentes nostras ad Dei, & ad sui, & ad

aliorum contemplationem, ita ad pecudes Æsopus revocabat. In quo cæteros longo intervallo superavit. Nec dividebat, nec definiebat, nec syllogismis utebatur, quibus non instrui homines, sed obtundi credebat. Venabatur animos suorum, & ut caperet lenocinia adhibebat. Pudebat omnes à quibus bruta abessent flagitia perpetrare. Vnusquisque quod in illis erat, & laudabatur, tanto majore contentione amplecti nitebatur, quanto magis vim rationis cogitabat. Sed de Æsopo primum, mox de Philosophia ejus agemus. Natus ille apud Phryges fuit, sed ubique semper vixit, ubique docuit, tanquam ubique natus. Fortuna quidem servus, sed animo omnium libertatem atque felicitatem provocabat. Adeo ut verissime olim dixerit magnus Plato, naturam atque legem sibi mutuo

opponi. Nam Æſopi animum natura liberrimum fecit, ſed lex humana ſervituti mancipavit. Nec ſervus tantum, ſed deformis adeo, ut non homo, ſed monſtrum hominis haberetur. Acutum illi caput, ſed quod divinarum humanarumque rerum ſcientiam complectebatur. Niger vultus, ſed quem virtutis ardor adulſerat. Pedes claudi, ſed rectâ tamen ad magna contendebat. Vox impedita, ſed ut à brutis peteret, atque in ijs oſtenderet, quod lingua negabat. Cum aſperitate dominorum ſæpe colluctatus eſt, ſed quibus tamen ipſe imperabat. Furti ob ficus ſublatos accuſatus, datâ alteri aqua tepida furem oſtendit, & ſe abſolvit. Aliquando alteri venditus omnibus ſe parem oſtendit, cum nihil emiſſe ſe dominus exiſtimaret. Fugiebant ejus conſpectum parvuli, ſed ut viri & ſapien-

pientes instituta ejus sequerentur. Quanti vero illud, de quo cum Xantho Philosopho disputavit? Rogatus qualis esset, nigrum se dixit, cum ubique candorem præferret. Rogatus unde natus, ex ventre matris suæ prodijsse se respondit, ut quamvis terram viro sapienti patriam esse indicaret. Quid sciret rogatus, nihil respondit, cum nihil ignoraret. Operi rustico intentus & manu aratrum aut ligonem tenens animo maxima quæque complectebatur. Non excutiendis eorum monumentis, qui sapientiam jam ante erant professi, sed brutis oculos intendebat. Eorum naturam atque impetus dicam an mores sollertissime indagabat. Sic omnes in stuporem dedit. Sic Philosophi atque ipsi reges ad eum tanquam ad oraculum accedebant, & quem primo vix in hominum censu habuerant, dis-

discedentes Deum cogitabant. Traditum antiquis Eranum Ægyptiorum legatum, infinita ab Æsopo civilis sapientiæ oracula reportasse. Quæ cum hominum non posset, brutorum exemplis confirmabat. Quidquid in aere, aqua, terra expers rationis pro Æsopo loquebatur. Hoc modo omnes sapientiæ partes absolvit, sic ut nihil desideraretur. Alij dum generationem, species, membra animantium excutiunt, scientiam naturæ, Æsopus dum ad naturæ instinctum adtendit, Ethicam in ijs & Politicam invenit. Vulgus cacabantes perdices, gementes turtures, lipientes milvos, pavones pupillantes, & denique sua quæque bruta sonantia, Æsopus autem loquentia vel audivit, vel fecit. Et sic in brutis non quidem ipsas virtutes, sed talia, quæ ad ipsas proxime accedunt, invenit.

Quis

Quis ciconiarum pietatem, columbarum castitatem, ovium simplicitatem, prudentiam aquilarum aut non vidit, aut non audivit? Hic certe magni aliquid Æsopo esse videbatur, qui impune in sæculi sui mores, atque adeo in principum scelera lusit; ac sermone brutis attributo, quem non habebant, in homines quibuslibet feris atrociores animadvertit. Enimvero ad ipsius naturæ tribunal provocandum erat, ubi in hominibus jus ejus laborabat. Et quem non pudeat, quæ in brutis mala vel bona in se esse, aut desiderari? Quamobrem Æsopus noster eorum Rempub., quam nunquam vidit, quia non fuit, commentus est. Quidquid pecudes cogitarent, solus scivit, quidquid non dixerunt illæ, loquutus est. Imperium, bella, pacem, inducias, fœdera, seditiones primus ijs adsigna-

gnavit. Divina certe ingenij illius vis fuit, quæ vidit, quod non erat, quæ audivit, quod nemo accepit, quæ denique effecit, ut id esse credamus, quod non est, &, ut verbo dicam, omnes decepit. Sed decepit, quemadmodum filij medicorum, qui ægri caussa subinde mentiuntur. Nec peccant tamen, dum non suum illi, sed ægri bonum quærunt. Cujusmodi fraudes Reipub. suæ custodibus etiam permisit Plato. Nec injuriam sapientię Æsopus fecit, dum eam in brutis ostendit. Fateor quia divinæ rationis capaces, longe à bestijs distamus: sed aut sopita, aut expulsa ratione multo ijs sumus inferiores. Illæ quippe impetum sequuntur, quem habent, nos subinde ita sumus animati, ut in nobis esse non videatur, quod potissimum videri debebat. Vt omittam multa esse, in quibus excellunt.

No-

Nolo ijs rationem cum Celso, & qui eum sequuti, adsignare. Qui perinde mihi facere videntur, ac illi, qui propter odium adversus inimicos, in illis eos reprehendunt, à quibus eorum amici laudantur. Vt enim hos occæcat odium, ut non videant se & amicos accusare, cum inimicis crimen impingunt, ita illi, quibus perturbata est ratio, bestijs eam adscribere voluere. Cætera & odore à canibus, & visu ab aquilis, & celeritate à leporibus longe superamur. Ægyptij, quibus sapientiæ omnis principatum debemus, in Hieroglyphicis notis per brutorum animantium imagines quæ sequenda, quæ fugienda mortales docuere. In proverbijs antiquorum, in quibus totam eorum sapientiam, sed cordatam, solidam, compactam consistere arbitramur, infinita bene vivendi præcepta à bestijs desu-

mun-

muntur. Et ſane multum ijs ab humano genere deberi exiſtimamus. Plurima ſunt in libris medicorum, ad quæ bruta prævivere. Capitolium ſervatum anſeribus acceptum olim referebant Romani. In ſacris, in auſpicijs quanti animantia hæc facta non ignoratis. Pace belloque ſigna ab ijs occupata, quæ militum ardorem, atque animos excitabant. Potiſſimum tamen ab ijs beneficium reportamus, cum docemur. Nec alibi nos docent, quam in Repub. Æſopi. In eam contendat, quiſquis ſapientiam amat, non atrocem aut ſeveram, qualis illa cæterorum Philoſophorum, ſed ſuavem, plenam riſus, & adſperſam dulcore amænitatis. Nec periculum vitæ inſtabit, quanquam lupos, leones, urſos loquentes audiatis. Frænum quippe ijs Æſopus iniecit, & coercuit intra limites ali-

quot

quot pagellarum, quas non excedunt. Imo non in Æsopo tantum, sed & in Iuvenale habetis, qui Æsopici regni turbatores hic invasit. Crispinus mullum sex nummorum millibus emit. Aperit scenam ille, & Domitianus absolvit. Rhombus piscis sub eo in Ægypto captus. Nemo aut vendere, aut emere volebat nisi qui præsens exitium exspectaret. Tantum, si Dijs placet, bonum principi debebatur. Stabant in littore ejus administri, & piscem Domitiano deberi clamabant. Piscatores festinant ad id solvendum, quod non debebant. Bonum dicitur, Deorum beneficio, per tot sæcula Domitiano servatum. Credebat Domitianus, & credi volebat. Patina non erat tanti piscis capax. Convocatur Senatus, tanquam de Repub. acturus. Veniunt præfecti, veniunt distenta abdomina,

mina, & gulæ candidati. Potiſſimus omnium Catullus Meſſalinus, vibex ſuorum temporum, cui nihil malum videbatur, niſi quod Principi diſplicebat. Prodigioſa ejus oratio, & compoſita ad omnem adulationem. Rhombus, inquit captus eſt, omen victoriarum, & triumforum. Rex capiendus eſt, & debellandus à Domitiano. Nec hoc tantum, ſed de patria, de ætate piſcis quæſitum, quaſi hoc ſciri potuerit. Quod Senatus conſultum factum putatis? Itum in partes, nec patres convenere. Quibuſdam in partes concidendus piſcis videbatur. Quod alijs tanquam mali ominis diſplicebat. Integrum coquendum plures ſtatuebant: integri enim capax vel abdomen unius Domitiani. De figulo conſultum, qui patinam pararet. Hic ſenatus, hic apparatus ineptiarum. Proinde de Æſo-

po, & ejus ſapientia dicendum fuit, ut quantum inter Æſopum ſervum, & Domitianum Imperatorem intereſſet, cognoſceretis. Ille in brutis ſapientiam, hic ineptias quærebat. Vterque invenit, ſed hic ut riſum deberet, ille ut tanto hominibus major videretur, quanto nobis beſtiæ minores, quibus dum quæ humana ſunt adſcribit, cæleſtia divinaque bene & feliciter vivendi præcepta inculcavit.

F I N I S.





LVGDVNI BATAVORVM,

Typis Wilhelmi Christiani,

cIↃ IↃ c xxxv.



[illegible]

[illegible]

[illegible] IV [illegible]

[illegible]

[illegible]

